Q. D. B. V.

AUTORITATE ILLUSTRIS MEDICORUM COLLEGII
in celeberrima Saxonum Academia

PRÆSIDE

JOHANNE RIKEMANNO,
LUNEBURGENSI Medicinæ Doctore,

SATYRIASIN ET PRIAPISMUM

publicæ philiatrorum diſquiſitioni
ad d. Septembris horis locisq; conſvetis
A. O. R. CIↃ IↃC LXX.
ſacrat

RESPONDENS
JOHANNES Eſchenbach/
EISENBERG. MISN.

JENÆ,
ex Officina SAMUELIS KREBSII.

DISSERTATIONIS
DE
SATYRIASI
ET
PRIAPISMO
CAPUT I
proœmium & inſtituti rationem continet.

QUod à multis magni nominis viris res viliſſimæ, abjectæ, infames, ἄδοξοι καὶ ἄτοποι θέσεις interdum ad diſputandum pertractandumque fuerint ſumtæ, ſat ſuperque literarum teſtantur monumenta. Quis ignorat encomium muſcæ apud *Lucianum?* Quis ab eodem deſcriptum judicium ſeptem vocalium, in quo Sigma cum T cauſſam agit? Nonne febrim quartanam *Phavorinus*, moriam *Eraſmus*, podagram *Cardanus*, pulicem *Ovidius*, culicem *Virgilius* Injuſtitiam *Glauco*, lutum *M. Antonius Majoragius* laudarunt & deprædicarunt? Cauſam, cur talia proſecuti ſint argumenta, ſciſcitanti, reddet *Gellius lib. 17. cap. 12.* ſcribens: non ſophiſtæ modò, verùm & Philoſophi oppidò libentes hujusmodi materias ſuſcipiebant, vel ad acuendum ingenium, vel ad exercendas argutias, vel ad edomandas difficultates.

ebrietate, incommoda redundare. Cui fini cum quàm optimè inſervire videbantur hi partium genitalium affectus ſatyriaſis ac priapiſmus, (de quibus duobus affectibus ſub uno capite agere ſolent auctores) ejus tractationem ſumus aggreſſi; quo ut ſatyri, qui fideles ſocii ac comites Bacchi finguntur; ita & hæc de ſatyriaſi diſſertatio medica non eſſet longè disjuncta ſed ſequatur pede celeri diſſertationem noſtram de ebrietate. Hôc ut felici fiat ſidere etiam atque etiam exoptamus.

CAPUT II

nominalem & realem exhibet definitionem.

EX eburneâ vaginâ plumbeum educis gladium! Hiſce *Diogenes* adoleſcentem egregiè formoſum pudendum quippiam, dicentem audiens objurgabat. Nobis, qui præſentis thematis analyſin citra crebriorem partium naturalium quidem, nihilominus aliquo modo obſcœnarum mentionem exequi nequimus, ne idem contingat; omninò veremur. Aſt cum ſecundum latinorum Hippocratem *A. C. Celſum lib. 6. de re med. cap. 18*, difficile non modò, ſed & impoſſibile ſit pudorem ſimul & artis præcepta ſervare; & ipſe elegantioris linguæ parens *Tullius lib. 9. epiſt. ad fam. 22.* magis amet libertatem loquendi, quàm verecundiam · Hoſce Diogenes & ſeveros Catones, qui res ab actionibus diſcernere nequeunt, non magis quàm terrorem panicum, & ex pelvi fulgur, moramur, cum puris omnia pura, caſtis omnia caſta, nec res per ſe ulla turpis, ſed actiones rebus patratæ.

Receptâ ergò in ſcholis medicorum methodo dabimus.

Etymologiam. Satyriaſis audit prior hic partium genitalium affectus, notatione vocis deſumta, à monſtris illis *Satyris* in libidinem maximè proclivibus ac vix ſatiabilibus, qui ideò ſemper & genitali ejus intenſis & veneris comites ut jumenta currui juncti pinguntur,

Pria-

Priapiſmi poſterioris affectus ἔτυμον deduci poteſt, à parte affecta, pene ſcilicet, qui præter quàm plurima nomina, quibus inſignitur, & quorum ſufficientem elenchum collegit, *C. Bauhinus lib. de part. corp. ext. cap.* 12. ut & *Excellentiſſimus Rolfincius ordine & methodo cognoſcendi part. generat. dicat. p.* 89. etiam priapus audit. Vel ſi libet, licet derivare, à *Priapo*, qui ex *Venere* in *Lampſaco* puer deformis, præditus membro virili ingentæ magnitudinis, natus, poſt terris exemtus in numerum divûm relatus, ceu Deus hortis, ut eorum ageret curam, præpoſitus fingitur. Hic ab *Horatio* 1. *ſat.* 8. hunc in modum de ſe ipſo loquens introducitur:

Deus inde ego furum aviumque
maxima formida. Nam fures dextra coërcet
obſcœnoq; ruber porrectus ab inguine palus.

Priapum, ſcribit *Laurenburgius horti cultura lib.* 1. *cap.* 1. hortorum tutelarem Deum perfecerunt, ut enormitate & turpitudine membri in fugam, inque pudorem injiceret furtivas mulierculas & pueros.

Sed quia & de *Satyrum* & de *Priapi* ortu, corporis habitu, religioſô cultu omnium ferè poëtarum loquantur ſcripta, plura de illis addere ſuperſedemus, quin potius B. L. *ad Mythologiam Natalis Comitis* ad *Camerarii cap.* 71. *cent.* 1. *hor. ſubciſ.* aliosque remittimus, cum gratius ex ipſo fonte bibantur aquæ.

Nos tendimus ad horum affectuum.

Synonymiam. Satyriaſis etiam dicitur ſatyriſmus, libidinoſitas, ſalacitas alterum ſcilicet temperantiæ extremum, cui ἀναισθησία opponitur. *Juvenali* veretri intenſio nominatur *lib.* 1. *cap.* 8. *ſaturnalium.*

Priapiſmus quoque diverſi modè efferri poteſt, cum ejus ſubjectum multis gaudeat nominibus.

Omonymia in ſatyriaſi ferè occurrit nulla, cum nomen hoc auctoribus non ſit in uſu, niſi ad denotandum hunc effectum. Satyriaſmos tamen vocabulo ſatyriaſi aliquo modo affini, vocat *Galenus* illas eminentias & extremitates oſſum, quæ circa tempora fiunt. Initium elephantiaſis etiam nonnulli ſatyriaſin appellant, *Caſt. Lex. Med. vocabulo elephas.*

Circa priapiſmi æquivocationem notandum, illos, qui magnum obtinent penem, non laborare priapiſmo, quamvis fortè eo laborare poſſint. Iſti enim, qui magnum obtinent mutonem, Græcis *αἰδερουθώντες* dicuntur, & ut cum aſinis, quoad hanc partem, ita & quoad ingenium cum hoc ex *Arcadia* pecude plerumque conveniunt. Sic non laborabant priapiſmo duo iſti judæi, *Iſmaël & Eleazar*, de quibus ex *Rabbi Loama refert Laurenberg. Paſicom. cap. 6.* quod *Iſmaëlis* membrum genitale fuerit ſimile magnitudine ſacco cuidam novem modiorum, *Eleazaris* verò octo modiorum; quia univerſum illorum corpus fuit monſtroſum. Refert enim de illis *Laurenbergius* locô citatô ex *M. Neand. Exot. hebr.* quod hi Judæi habuerint ventres ita groſſos, ut cum in pedes conſiſterent, & facies ſibi invicem obverterent, conjungerentque ventres, duo boves potuerint tranſire inter eos neutrum contingendo. Sed credat hoc Judæus apella.

Definiri poteſt Satyriaſis, quòd ſit *nimia & ferè inexplebilis cum voluptate ad venerem, ſine delirio tamen, propenſio, orta* à robure facultati genitali ob ſeminis copiam, vel res alias venerem ſtimulare valentes inducto. Genus, quod formæ vicem ſubit, eſt propenſio in venerem. Ne verò quis omnem in venerem propenſionem nos hîc occuſare arbitretur, cum tamen illa omninò requiratur ad ſpeciei propagationem, diximus propenſionem cum adjectione vocum nimia & inexplebilis. Cum voluptate hæc eſt propenſio in venerem, & ideò à priapiſmo, diſcernitur. Eſt abſque delirio, & in hoc ab *ἐρωτομανίᾳ amore in ſano*, ubi facultates animales læſæ, diſtinguitur.

Priapiſmum ſic circumloquimur; *quòd ſit colis præter naturam citra libidinis ſtimulum erecti permanentia, ortum habens à craſsâ & flatulenta materia, ſpongioſam penis fiſtulam implente.* Vel ut *Galenus de locis affectis & 13. Meth.* eum delineat, eſt mentúlæ erectio ſine deſiderio coëundi.

Præter naturalem hanc eſſe erectionem virgæ virilis, adjunctus innuit dolor, à flatulenta materia pudendum diſtendente, & ſic continui ſolutionem faciente, exortus. Ad convulſionis ſpeciem, quæ *τέτανος* dicitur, ubi nempe rectum riget membrum, jure merito refertur. Sunt

Sunt itaque uterque hi affectus è numero ſymptomatum actionum læſarum. *Argenterii* ex mente ſatyriaſis ad actionem auctam & voluptuoſam, priapiſmus ad actionem triſtem referendus eſſet, cum in hoc moleſtia, in illa voluptas ex cauſſis morboſis proveniens, percipiatur.

CAPUT III

de ſubjecto & cauſa tùm immediata tùm mediata agit.

GEnerale & ut Quod ſubjectum, hiſce in affectibus eſt corpus humanum, nam de homine prædicatur, quod ſatyriaſi vel priapiſmo ſit correptus.

Speciale autem & ſubjectum ut Quo, in utroque ſymptomate hoc ſunt organa, ſeminis elaborationi, aſſervationi, & ejaculationi, deſtinata.

Hâc ratione omnes alias partes remotè tantùm generationi ſeminis inſervientes excludimus, & ſolum illas, quæ proximè hoc præſtant, intelligimus.

Remotè ſeminis proventum adjuvat, ſecundum recentiores *cor*, ſecundum veteres, *hepar* dum ſanguinem elaborat atque conficit. Ea de cauſa *Plato* voluptatis & concupiſcentiæ ſedem in hepate, collocavit, quemadmodum iræ, in bile, *Democritus*. Unde vulgatus verſus

Cor ardet, pulmo loquitur, fel commovet iras,
ſplen ridere facit Cogit Amare Jecur.

Renes ſimilem in modum hîc non ſunt adæquatum ſubjectum, cum eorum actio non ſit elaborare ſemen, ſed fulcire vaſa, & ſerum à ſanguine ſegregare. Confirmat hunce renum uſum *Philoſophus 3. de part. animal. cap. 9.* καταχρῆται γὰρ ἡ φύσις ἅμα τῶν φλεβῶν χάριν, καὶ πρὸς τὴν τοῦ ὑγροῦ περιττώματος ἔκκρισιν· φέρει γὰρ εἰς αὐτοὺς πόρος ἐκ τῆς μεγάλης φλεβός. *Utitur enim na-*

B *tura*

tum iis ſimul ad venas continendas, & ad ſupervacuum humorem excernendum abutitur: meatus enim de vena majore ad renes usque perfertur. Et Galenus 5. de uſu partium 5. Renes ſecernere à ſanguine urinam pronunciat. Nec alium uſum agnoſcunt viri in anatomia excellentes ferè omnes. *Laurentius lib. 7. cap. 21.* Renum uſus eſt, *ait*, venoſum & arterioſum ſanguinem ſuo ſero expurgare. Cum quo facit *Bauhinus lib. 1. theat. anat. cap. 21. Bartholinus lib. 1. anat. refor. cap. 17.*

Hinc fruſtra ſunt, qui vim σπερματοποιητικὴν renibus adſcribere ſatagunt, non ob modo allatam autoritatem tantorum virorum, ſed & ob manifeſtas rationes. Primò enim nihil ſeminis unquam in illis reperitur ut ſolet reperiri in aliis partibus ſemen conficientibus. Deinde nullum iis cum teſtibus, cum veſiculis ſeminariis, eſt commercium. Aliæ rationes, quibus hoc officium teſtium deſtrui poteſt, videantur apud *Kyperum anthropolog. lib. 1. cap. 9. §. 30.*

Sic remotis ſubjectis minus genuinus proximum & adæquatum, partes nempe generationi dicatæ, prolixius pertractandum veniret. Verùm cum nimium quantum excreſceret diſſertatio, ſi quę de ſingulis notatu digna in anatomicorũ ſcriptis occurrunt, apponeremus, malumus B. L. ad anatomicorum monumenta ablegare, ubi ex profeſſo harum partium tractatio ſatis erudita habetur. Ubi præ reliquis excellunt *Rolſincius Ordine & methodo generationi dicatas partes per anatomen cognoſcendi. Plazzonius de partibus generationi inſervientibus.* Ut & ingenioſus & in inveniendis feliciſſimus *Regnerus de Graff, de organis virorum.*

CAUSAM IMMEDIATAM ſatyriaſis paucis ut addamus, ea eſt robur nimium facultatis genitricis.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR eſt copia & præſentia laudabilis ſeminis, geniti, non ex colliquamento partium, nec ex chylo vel cambio, nec ex liquore nervorum, uti *Charleton*, nec ex ſanguine ſpurco, uti *Plemplius* voluit, ſed ex ſanguine arterioſo ſpiritu vitali copioſè prædito nec non ſpiritu animali animato.

Priapiſmi CAUSA IMMEDIATA eſt facultatis genitricis depravatio.

CAUSA

Causa Mediata Proximior eſt materia flatulenta penem ſuâ præſentiâ diſtendens, inflans atque turgidum quidem reddens, verùm cùm principio activo, ſpiritu ſcilicet genitali deſtituatur, deſiderium coëundi excitat nullum.

CAPUT IV

cauſas adducit naturales.

AD generandos fovendosque præſentes hoſce affectus concurrunt etiam Res Naturales, quas nobiſcum circumferimus.

I. Temperamentum calidum & humidum, id eſt, quando efferveſcentia naturalis rectè legitimeque eſt conſtituta, ad ſatyriaſin excitandam aptum eſſe natum, non latebit conſiderantem, quod tunc & chylus & ſanguis laudabilis, & ex eo ſemen in magna generari poſſit copia.

Ad priapiſmum inducendum non usque adeò laudabile facit temperamentum, ut eſt frigidum, frigidum & humidum, ex vitio aliquo principiorum ad efferveſcendum requiſitorum, originem trahens.

II. Sexus muliebris à priapiſmo, cum ejus deſtituatur ſubjecto eſt immunis; at ſatyriaſi æque ſequior ac nobilior ſexus obnoxius. Quid ſi affirmaretur in duplum amplius affectare mumulieres coitum, quàm viros. Quod ſanè præter alia confirmare poſſet hiſtoria illa, quâ *Argenterius* dubius quid ſtatuat, quo tempore nempe coitus eſſet exercendus, dum de re iſta litigant medici, *Hippocrate* illum à ſomno, *Paulo* contra à cæna commendante, mulieres conſuluiſſe dicitur. Cui matrona ſatis hujus negotii perita (tres enim viros habuerat) & *Hippocratem* & *Paulum* errare reſpondit: ſiquidem & mane & veſperi celebranda venus. Huic ſimile eſt, quod quædam nobilis alia mulier, audiens virum ſuum dicentem coitum à cœna, ad generationem conferre, ad ſanitatem tuendam utiliorem, qui coctione celebratâ perficeretur; & manè ergo ſubdit & veſperi congredi-

gredienduṁ eſt; manè quidem ad ſanitatem ſervandam, veſperi, ſobolis procreandi cauſa.

Semiramis viros hinc indè conquirebat, eorumque turpi abutebatur concubitu, illosque poſtmodum è medio clam auferebat, ne flagitium emanaret. Effuſa libido eam eò deducebat, ut prima uteretur eunuchis, de quibus *Claudianus* ita canit:

Hos fecere manus ſeu prima Semiramis aſtu,
Aſſyriis mentita virum, ne vocis acutæ
mollities levesque genæ ſe prodere poſſent.
Hos ſibi conjunxit ſimiles: ſeu percita ferro
luxuries, vetuit naſci lanuginis umbram;
ſervatoque diu puerili flore, coëgit
arte retardatam Veneri ſervire jugentam.

Ambubajæ mulieres erant *Syræ*, quæ Romæ in circo habitantes corporis ſui copiam vulgefaciendo, & citharas pulſando, ſe ſuſtentabant. Has eleganter *Juvenalis* perſtringit:

Jam pridem Syrus in tiberim deflexit Orontes,
& linguam & mores, & cum tibicine chordas
obliquas, nec non genitalia tympana ſecum
vexit, & ad circum juſſas proſtrare puellas.

Harum inter miniſteria turpia nonnunquam cœnaſſe *Domitium Neronem*, teſtis eſt *Suetonius in Neronis vita.*

Aurelium Commodum XVIII. Imperatorem Romanum hac ſatyriaſi correptum fuiſſe, nobis teſtatam faciunt hiſtoriographorum paginæ, referentes de eo, quòd trecentas concubinas è matronis & meretricibus delectas, trecentas item alios puberes exoletos è plebe æque ac nobilitate habuerit, ſtupra item ſororibus omnibus intulerit, templa libidinibus fœdârit.

III. ÆTAS ſummè tenera, ut & extremè ſenilis, non infeſtatur ſatyriaſi; ſed potiſſimùm adoleſcentia & juventus, ob fermenti ſeminalis præſentiam, copiamque ei ſubjecta. Undè adoleſcen-

leſcentiari apud ſcriptores priſcos, idem quod luxuriari, & juvenari, idem quod laſcivire, denotavit. Nam ex eo ætatis tempore homines plerumque his affliguntur incommodis, quando potentia generativa, vel ut cum *B. Mœbio* loquar, quando ſpiritus genitalis ſe prodere incipit, & quoad geniture ſunt exactè habiles. Cenſent vulgò, quòd maſculi anno ætatis 14. quando ſcilicet mentum decora exornat lanugo, generandi potentiâ polleant perfectâ, & quòd ex eo tempore hæc naturæ vis & ardor propagandæ ſobolis indies magis magisque augeſcat, atque incrementa ſumat usque ad quadrageſimum quintum, vel quinquageſimum ætatis annum, atque in ſexageſimò quinto deſinat.

Virgines verò à duodecimo ut plurimùm annô expletô; quando nempe menſes eis fluere incipiunt, puberes, & uſque ad quadrageſimnm, quo menſes illis ſubſiſtere ſolent, utero gerendo aptæ, judicantur. Pubeſcente corpore, ait de virginibus *Levinus Lemnius lib.4.c.24. de occult. naturæ miraculis* ac profluentibus ſtatuo tempore menſibus, ut aſſolet, decimo quarto aut quinto ætatis anno, aliis ſerius, aliis maturius, pro cujusq; habitu & conſtitutione, ſemen augeſcit ac ſanguis, qui non amplius in corporis augmentum aſſumitur redundans, rei venereæ imaginationem menti infert, quocirca in ætate nubili conſtitutæ ſe comunt ac poliunt; oculosque ac genas non ſolùm ſpeculo, ſed juvenibus continenter objiciunt, ſeque ſpectandas exhibent: adeò, ut à procis demulceri tractarique cupiant, ac blandius appellari, oculis ejus rei cauſſa in obliquum detortis, atque in amaſios ſuaviter conjectis, quæ res efficit, ut oborta tentigine atque intimarum partium titillatione, prurire utrique incipiant, atque impotentius ad concubitum incitari.

Primâ menſtruornm eruptione puellas in pudendis validâ tentigine prurituque corripi, ex quo ad venerem incitentur annotavit *Baricellus hortulo geniali p.315.* unde per illud tempus cautè eas cuſtodiendas exiſtimat, eſt enim periculoſa merx virgo nubilis, maturaque viro.

Viduas ob deguſtatas rei venereæ illecebras, quas animo conceptas habent, avidiùs expetere venerem, quàm virgines, quibus nunquàm illæ voluptates delibatæ ſunt, opinatur *Levinus Lemnius l. c.* unde tumultuoſas, lubricas, inſtabiles, inquietas, nec unius mentis aut ſententiæ illas vocat, belgicumque addit de viduis proverbium: De machden hebben eenen Zin: de Wetwen hebben den Düvel in.

IV. HABITUM corporis qui nacti ſunt obeſum, non facilè laborant hôc morbô. Nam pingvia animalia minus habere ſeminis, *Ariſtoteles* arbitratur.

Imberbes ob caloris naturalis inopiam, minus virilis roboris in præſtanda venere obtinent, eoque nomine ſunt exemti è numero eorum, quos ſatyriaſis invadit, at non è cenſu eorum, qui priapiſmi invaſionibus ſubjecti.

Graciles & nervoſas tibias habentes in venerem proclives eſse obſervavit *Johann. Bapt. Port.* Ego enim, inquit *Phyſiogn. lib. 2. cap. 44.* quam plurimos amicos habeo tibiis gracilibus, ut avium vel locuſtarum potiùs quàm hominum videantur, Sunt autem iſti immoderatæ & in explebilis luxuriæ. Nonnulli hic contrarium ſentiunt.

V. VITÆ GENUS otio & deſidiæ dedictum, feneſtras foresque aperit patentiſſimas ad ſatyriaſin, partim, quòd tunc, quando Vacunæ litatur, magna generatur copia ſeminis, quia parum aſſumtorum diffluit; non exercendo corpus laboribus; partim quòd homines nihil agendo, malè agere ſoleant diſcere, & facilius, quàm negotiis dediti ad Venerem ferri, undè rectè *Ovidius:*

Quàm platanus rivô gaudet, quàm populus undâ,
& quàm limoſa canna paluſtris humo:
Tàm venus otia amat; finem qui quæris amori,
cedit amor rebus, res age tutus eris.

CAPUT

CAPUT V.

cauſas nonnaturales, & primò aerem contemplatur.

QUod *Hippocrates 3. aphor. 19.* de omnibus in univerſum morbis pronunciat, dicens: Νοσήματα δὲ πάντα μὲν ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται, μᾶλλον δ' ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται: *Quilibet in quibusvis anni temporibus morbi fiunt, nonnulli tamen in quibusdam ipſorum magis tùm fiunt, tùm exacerbantur;* hoc nos in particulari præſentibus noſtris affectibus applicare poſſumus. Nam quamvis ea ſit hominum conditio, ut non ceu bruta, certis tantum anni temporibus, ſed omni tempore in veneris conflictum prorumpere valeant, niſi impediat morbus: nihilominus tamen animadvertitur hoc vel illo tempore hominem magis teneri deſiderio ſe exonerandi à geniture copia & pruritu.

Ab AERE alterato corpusque noſtrum ambiente, variasque mutationes inferre valente, modò vehementior, modò remiſſior in venerem impetus, non minima ex parte videtur dependere. Aër ſecundum *Galenum 9. meth. med. 14. & 11. Meth. cap. 1.* trifariam mutatur, ut [α] *naturaliter* à partibus anni [β] *præternaturaliter*, ut quando putrium vaporum exhalatione permiſcetur, [γ] *non naturaliter* ut cum mutatnr ſitus ratione, aut vario cœli adſpectu. Si ſecundum primam illam aëris alterationem à *Galeno l. c.* allatam præſentes affectus examinabimus, liquidò apparebit, quòd inter anni partes ad ſatyriaſin excitandam ver meritò emineat. Quando

redeunt jam gramina campis
arboribusque comæ,

gratus

gratus aëris tepor reddit libera hominum corpora à pravis humoribus, hyemis tempore ob ambiens frigus impediens transpirationem, cumulatis, liberantur. Ver, tempus *ſecundum Hippoc. 3. Aphor. 9. ὑγιεινότατον καὶ ἥκιστα θανατῶδες, ſaluberrimm & minimè exitiale*, ſana ut ſint in nobis omnia præſtat. Hoc in ſaluberrimo tempore ſani, & ſeminis abundantiam habentes, conſtituti, ad venerem excitari, quis miretur, cùm omnia animalium genera, imò res inanimatæ iſtam tunc quaſi expetant. Eleganti hoc nobis ante oculos ponit carmine *Virgilius 2. Georgic.* hunc in modum canens:

Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
magnus alit magnô commiſtus corpore fœtus.
Avia tum reſonant avibus virgulta canoris,
& venerem certis repetunt armenta diebus,
parturit almus ager Zephyrique tepentibus auris
laxant arva ſinus, ſuperat tener omnibus humor.

Præter vernale tempus, etiam æſtivum fœminas potiſſimum ad ſatyriaſin impellit, quemadmodum hyemale viros. Namque æſtivus calor, qui ſemen mulierum, quod frigidius, contemperat, calefacit, eis calcar addit, virorum autem ſemen, quod calidius, diſſipat conſumit, eosque minus appetere coitum efficit. Confirmat hoc græcorum poëtarum ferè vetuſtiſſimus *Heſiodus lib. 2. dierum*, dum ait:

Ἦμος δ' σκολυμός τ' ἀνθεῖ, καὶ ἠχέτα τέττιξ
δενδρέῳ ἐφεζόμενος λιγυρὴν καταχεύετ' ἀοιδὴν
πυκνὸν ὑπὸ πτερύγοον θέρεος καματώδεος ὥρῃ,
τῆμος πιόταταί τ' αἶγες, καὶ οἶνος ἄριστος,
μαχλόταταί τε γυναῖκες, ἀφαυρόταται δὲ τοι ἄνδρες.

Qui verſus latino idiomate redditi ſic ſonant:

Quando floret ſcolymus, & ſonora cicada arboribus inſidens ſtridulam effundit cantilenam crebram, alis vibrans æſtatis laborioſa hora: tunc pingviſsimæ capræ & vinum optimum, ac mulieres ſalaces, viri verò imbecilliores ſunt,

Dein-

Deindè & ſecunda ſpecies aëris mutati Galeno *præter naturam* dicta, ad libidinem facit. Non quidem, quatenus aër tetris vaporibus ex putridis locis exſpirantibus eſt inquinatus, ſed è contrario, quatenus imprægnatus atomis rerum fragrantiſſimarũ. Hinc & *Gartias ab Horto de plant: indic:* teſtatur, ſvavem & fragrantem odorem etiam ad Venerem facere. Nec mulierculos latet hæc vis, quæ, ut refert *Plutarchus libro quod bruta ratione utantur*, globulos odoratos redolentes, pellicere ſolebant viros ad coitum.

Jacobus Fabritius, prof. olim Roſt. poſt Regis Daniæ glorioſiſsimi Chriſtiani IV. Archiater, *Socer Simonis Pauli in collegio chimico MSS. in Crollium* mentionem facit de pulveribus *Martiati odoratus* dictis, qui lectis inſpergebantur à mulierculis ad armandos viros in prælium venereum.

Tertia & ultima aëris alteratio, ratione *ſitus*, hîc non excludenda. Etenim homines regiones calidas inhabitantes citius & magis ruunt in venerem aliis minus calidas inhabitantibus regiones. In Ægypto regione fervidiſsima mulieres adeò ſunt libidinoſæ, ut etiam ſe non temperent à coitu cum hircis, nullaque ferè caſtitatis amans ibidem inveniatur, *Herodotus lib. 2.*

CAPUT VI

cibos & potus aphrodiſiacos complectitur.

QUia rectè ſecundum comicum, ſine Cerere & Libero Venus frigere judicatur, age videamus, qui potiſſimum cibi & potus ad hoſce affectus inducendos ſint commodi.

Exordimur ab *ovis*, quæ huic negotio quàm maximè inſervire valent, cum ſint εὔχυμα καὶ εὔπεπτα vel ipſius *Hippocratis* teſtimonio, dicentis: ova, puta tremula, non frixa, volatilium, & materiam & nutrimentum eſſe fortiſſimum, & plurimi alimenti, cum tota abeant in ſanguinem.

Ova Venus poſcit petulans, & Hymetria mella,
quasque tulit folio pinus acuta nuces.

Excellunt & *ova paſſeris*, quæ auctoribus, *Avicenna* & *Haly Abbate*, mirum in modum Venerem promovent. Undè & paſſer avis ſalaciſſima propter immoderatam ſuam libidem nota hieroglyphica fuit hominis libidini nimis dediti. Et ob eandem cauſam *Sappho* poëtria Veneris currum à paſſeribus duci finxit.

Non minoris ſunt valoris *ova perdicum*. Undè *Kyranides* ea in cibum ſumta, amatorium poculum vocabat. Imò perdicum carnem ad venerem valere auctor eſt *Avicenna*. Hinc *Lais*, meretrix, quæ nobilem partem juventutis Atticæ in perniciem ſeduxit, perdicibus, anethi fœniculique ſemine ſaccharo condito, paſtis, ad venerem augendam veſci ſolita traditur.

Carnes cancrorum, oſtrearum, teſtudinum nemoralium, à *Platero T. 1. prax. p. 646.* annumerantur cibis venerem excitantibus.

Teſtes gallorum qui nondum coïverunt, ſemen ſuppeditant prolificum, & venereas vires roborant. Adverti hoc poteſt ex hiſtoria mulieris, quæ marito dederat in cœnam teſticulos gallorum, cum melle & aromate paratos, ex quo cibo in veneris inſatiabile irritamentum devenit. *Schenckius 8. hiſt.*

Bulbi eſculenti, quibus annumerari poſſunt tubera terræ, ut *ſolanum tuberoſum eſculentum*, & reliqua boletorum genera, in pretio erant magno veteribus, quoniam irritamentum exercitiis ſuggerebant venereis. De illis *Columella*

Quæque viros acuunt, armantque puellas,
jam Megaris veniunt genitalia ſemina bulbi,

Hortatur *ovidius* amoris ſtimulos à ſe avertere cupientes, ut abſtineant ab eſu bulborum.

Daunius, an Lybicis bulbus tibi miſſus ab oris
an veniat Megaris, noxius omnis erit.

En in ſenio confectum, à bulbis auxilium venereum emendicantem jocatur *Martialis* ſequentibus:

Cum ſit anus conjux, cum ſint tibi mortua membra,
nil aliud bulbis quàm ſatur eſſe potes.

Qui

Qui præſtare virum Cypriæ certamine neſcit,
manducet bulbos, & benè fortis erit.
Languet anus, pariter bulbos ne mandere ceſſet,
& tua ridebit prælia blanda Venus.

In ganeæ deliciis, cardui vel ſcolymi (germanis Artiſchocken) adeò frequentes erant, ut ſine eo nulla magnifica, aut adjicialis cenſeretur cœna, *Langius lib. 2. epiſt. med. 6.*

Nucibus, avelanis, præſertim iſtæ ſpeciei, quæ *Bauhino corylus ſativa fructu oblongo rubente* audit, non minima in eſt vis venerem proritandi. Eâ de cauſsâ in *diaſatyrii confectione* deficientibus vel rancidis pineis. illam avelanæ ſpeciem ſubſtitui poſſe, arbitratur celeberrimus *Simon Pauli quadripart. botan. p. 4.*

Salſa edulia, obſal, quod ad fœcunditatem plurimùm confert, quia ſeminalem acuit vigorem, huc etiam revocanda. *Ægyptii* ob id canes ad coitum inertes ſalſamentis, carnibusque ſale maceratis ad venerem alacriores reddebant.

Propterea non abs re poëtæ venerem ἁλιγενῆ appellarunt, quod eam ex ipſo mari ob ſalſedinem, quæ non parùm ad fertilitatem confert, natam credebant. Dubitamus verò non ſine cauſſa, de eo, quod *Plutarchus ſympoſ. 5. cap. 10. & Plinius lib. 10. cap. 65.* tradere literis non ſunt veriti, fœminas nempe absque congreſſu cum maſculo, ſolo linctu ſalis concipere. Eſſent ſanè illæ mulieres ſimiles equis Hiſpanicis, quos à vento favonio concipere ajunt. Hæc autem quæ de ſale ad venerem augendam valente diximus, cum grano etiam ſalis ſunt accipienda, & non de frequentiore, ſed de moderato uſu ſunt interpretanda. Nam continuatus copioſioris ſalis uſus, potiùs veneris ad petentiam imminuit & compeſcit. Et hoc ideò, quia ſal vi ſuâ exſiccante, & acri, laudabilis dulcisque ſanguinis proventum inhibet, undè & ſperma, utpote quod ex ſanguine provenit, neceſſariò generari nequit. Indè *Franſciſcus Valeſius* ait, copioſior uſus ſalis tùm hominibus, tùm reliquis animantibus morbidus eſt, eò, quod ſanguinem ſalſum facit, & ſterilitatem inducit, ſiccando vehementer & acrius efficiendo ſemen.

Incitant præterea ad venerem augendo ſemen multa alia ge-

nera ciborum, ut caro *gallinarum*, *caponum*, *perdicum*, *phaſianorum*, *paſſerus*, *teſtes brutorum*, *amygdala*, *uvæ paſſæ & corinthiacæ*, & ſexcenta alia, quæ hic recenſere ſuperſedemus.

Vinum moderatè ſumtum ad venerem incitandam vires obtinet ingentes, cùm citiſſimè in ſanguinem abeant. Hinc vinum Veneris hortator & armiger non ſine cauſſa dicitur *Apuleo 2. metam.*

Notandum verò, quod vinum ad venerem hortetur, ſi non in pernimia ſumatur copia: Aliàs vino dediti & ebrioſi non adeò proni ſunt in venerem, imò ſæpè ſteriles evadunt, uti in *Diſſertatione* noſtra *de ebrietate c. 13.* adduximus exemplum *Alexandri M.* multibibi, ad concubitum *Olympiadis* tardi. Nam ebrioſi, ſicut vino ſopiunt ſenſus: ita quoque ſemen prolificum diluunt & diſſipant atque orexin ad venerem ſopiunt, hebetantque. Videatur *Sebitius de alimentor. facult. p. 1493. & Primeroſius de erroribus vulgi lib. 2. cap. 35.*

In *Illyria* vinum quoddam *Wiparbianum* dictum provenire, *ex Laur. Gryll. l. 1. de ſapor. dulci refert Sachs ampelog. p. 261.* quô qui utuntur largius, ad venerem proniores fiunt, & numeroſam prolem ſuſcipiunt.

Apud *Sinum arabicum* aquam reperiri nonnulli ſcribunt, quâ ſi quis pedes inungat, membrum virile admodùm intenditur, ita ut quibusdam omninò nunquam remittatur, quibusdam non niſi poteſt magnos cruciatus, & curam medicam. Similiter *Henricus ab Heer p. 132.* refert eos qui aquam fontis ſpadani biberint, altero ſtatim die priapiſmo eſſe tentatos.

CAPUT VII

medicamenta nonnulla recenſet venerea.

Multa eſſe in cenſu medicamentorum facientia ad ſeminis generationem, & ut quis in veneris caſtris fortiter militet, res eſt in aprico poſita, omnesque libri de re medica conſcripti teſtantur.

Hæc

Sunt autẽ hæc medicamenta omnia in triplici differentia, quippe nonnulla ex eis ſeminis largiuntur abundantiam, ut quæ ſunt calida & humida; alii genitum jam ſemen provocant, & tentiginem excitant, ut calida ſine exſiccatione ingenti, alia quæ flatus generant, & erectioni pudendi inſerviunt, ut ſunt illa, quæ humiditatem flatuoſam in ſe continent.

Nos ne ſcrinia lippi compitaſſe videamur potiora tantùm ex eis, quæ auctorum obſervationibus clara, ſumus allatari.

Dentes majores Crocodili, referente *Mathiolus in Dioſc. lib. 2. cap. 60.* è dextra maxilla, lacerto alligati dextro, coitus ſtimulant. Hinc Crocodilus auctore *Wendelino de admirandis Nili p. 150.* veteribus ægyptiis præter alia varia indigitanda myſteria inſerviit etiam, ut hieroglyphicum ſalacitatis.

Pellem cervinam, eò tempore cervo detractam, quô inſanô amore exæſtuat, ſi ſuper lectum, in quo dormitur, ſternitur, libidinem vehementer ſtimulare, nonnulli affirmant.

Non ſilentiô prætereunda eſt planta illa, cujus vim ad venerem excitandam ipſe admiratur *Theophraſtus lib. 9. hiſt. plant. cap. 20.* θαυμασιωτάτη δὲ ἣν ὁ Ἰνδὸς ἔχειν, οὐ γὰρ προσενεγκαμένοις, ἀλλ' ἁψαμένοις ἔφασαν ἂν τὸ αἰδοῖον τείνεσθαι. Τὴν δύναμιν δ' οὕτως ἰσχυρὰν εἶναι, ὥσθ' ὁπόσαις ἂν βούλοιντο, πλησιάζειν. Τοὺς δὲ χρησαμένους φάναι καὶ δώδεκα: αὐτὸν γοῦν λέγειν (καὶ γὰρ ἦν ἰσχυρὸς καὶ μέγας) ὅτι ἑβδομήκοντά ποτε πλησιάσειε. *Ad rem autem veneream mirum in modum herba pollebat, quam Indus attulerat. Non enim ſolùm edentibus, ſed etiam tangentibus tantùm, genitalibus vim dixere vehementem adeò inſpirare, ut quoties vellent, coire poſſent. Et quidem qui uſi fuerunt, duodecies potuiſſe dixerunt. Indum autem ipſum, qui & magno atque robuſto corpore erat, ſeptuagies aliquando coiviſſe ſe faſum eſſe.*

Similem huic ferè plantæ quoad virtutes, radicem recenſet *Joh. Coſtæus lib. 1. de univerſa ſtirp. hiſt. cap. 24.* Radix *Surnag*, inquit, in monte Atlante ad ſolem occiduum reperitur, cujus vis tàm eſt mira, ut non ſolùm comeſta robur addat in venerem; ſed & in libidinem ſtatim agat, ſi in eam quis emiſerit urinam.

 Tum

Tum eſa ctarum genitalium partium *à Zybetho* glandi inuncto exemplum habet *Borellus cent. 2. obſer. 31.*

Ungventum audacificans ab *Henrico ab Her obſ. 9.* deſcriptum, magnarum eſt virium ad armandos inermes in prælia Veneris.

Ex Internis ad ſatyriaſin inducendam facientibus medicamentis, agmen ducere poteſt ſpecies illa orchidum, quæ *ſatyrium cynorchis* dicitur, communi gaudens nominis notatione, cum præſenti themate.

Medicamentis ex teſticulis hujus plantæ paratis, ut *electuario diaſatyrii* tàm *Meſues*, quàm *Nicolai, phar. aug. claſſe 14. Sangvini mumiæ ſatyrionis Henrici ab Her obſerv. 9. & Schrod. pharmacop. lib. 2. cap. 57. & lib. 4. tit. Satyrium*, deſcriptis, ingens inest vis ad excitandam venerem & promovendum opus naturaliſſimum.

Eruca uſus ad venerem ſtimulandam excellens eſt. *Eruca* ſcribit *Galenus lib. 2. de aliment. facult.* ἔυζυμον σπέρμα γεννᾶν πεπίστευται, καὶ τὰς πρὸς συνουσίαν ὁρμὰς ἐπεγείρειν: *ſemen generare creditur & coëundi appetitum excitare.*

Serebatur hæc olim propè *Priapum*, cui & dicata erat ob vim promovendi venerem, ut teſtatur *Columella*.

Et quæ frugifero ſeritur vicina Priapo,
excitet ut veneri tardos eruca maritos.

Nam juxta *Martialem*:

Venerem revocamus eruca morantem

Et *Ovidius* eruca abſtinendum præcipit iis, qui ab amore diſcere cupiunt;

Nec minus erucas jubeo vitare ſalaces.

Refert *Platerus lib. 1. obſerv.* quendam ſumto cathartico, cum illud operaretur, ita à ſemine ſtimulatum fuiſſe, ut ſe non potuerit continere, quò minus uxorem illi miniſtrantem comprimeret. Cauſsam, quare à purgante exhibito ejusmodi impetus venereus exoriri potuerit, reddit *Excell. Rollfincius generat. Dicat. part. cap. 24.* hanc, quia ſcilicet veſiculæ ſeminariæ, ſitæ inter veſicæ & recti inteſtini muſculos, ab acrimonia pharmaci, cum acribus humoribus tranſeuntis, irritantur.

Aliam

Aliam non minus lepidam obſervavit *Henricus ab Heer p. 129.* hiſtoriam viri ruentis in venerem, ob errorem in pharmacopolio commiſſum, ubi ſeni purgantis medicamenti loco, aphrodiſiacum, quod juniori, ut ſe virum præſtaret, erat ordinatum, porrectum fuit.

Confectio chocolata quoque palæſtritam egregium efficit.

Borax ciceris magnitudine in ovo ſorbili ebibita, tentiginem ciere, hominemque in priapiſmum trahere ſcribunt *Luſitanus cent. 2. & Mercur. conſ. 48.*

Exempla duo immanis & cum morte conjuncta ſatyriaſis, obortæ à cantharidibus & cepis, ab anicula febris tertianæ & quartanæ arcendæ cauſa exhibitis, legi poſſunt *Bartholomæum Cabrolium obſer. 17.* Nam pagina impudica evaderet caſtasque legentium aures offenderet, ſi integrè apponerentur.

CAPUT VIII.

de reliquis rebus non naturalibus.

MOTUS, ad quem pertinent baſiationes, titillationes, blandæ compreſſiones, & alii voluptatem excitantes contactus, etiam ſatyriaſin inducere pollent.

Hæ motus ſpecies & imprimis labiorum morſiunculæ amantibus eum in finem ſolent eſſe familiares, de quibus *Lucretius lib. 4.*

Quod petiere premunt arte, faciuntq; dolorem
corporis, & dentes illidunt ſæpe labellis,
oſculaq; affigunt.

Ejus ut & aliorum motus generum mentionem quoque facit *Plautus pſeud:*

Jocus, ludus, ſermo, ſuavis ſuaviatio
compreſſiones arctæ amantium corporum
teneris labellis molles morſiunculæ
papillarum horridularum oppreſſiunculæ.

Quæ-

Quæſiti, *cur mammæ contrectatæ appetitum veneris ſtimulent?* vel ut utamur phraſi *Chriſt. Langl. in miſcellan. curioſ. med. p. 48.* cur horridulum microcoſmi promontorium cum valle genitali tantopere conſentiat? Reſpondemus, hon non fieri ob venæ epigaſtricæ cum mammariis anaſtomaſin, quam nonnulli fruſtra ſibi fingunt, ſed ob arteriolarum & nervorum prope papillam concurſum. Unde cum motus major concilietur ſpiritibus per contactum & compreſſionem mammarum, ſequitur hunc motum calor fortior, & fortiorem calorem partium genitalium muliebrium in libidinem accenſiio.

Ex ANIMI PATHEMATIBUS hic prævalet *amor* ex aſpectu & converſatione cum perſonis, aptâ membrorum figurâ & decenti coloris ſvavitate præditis. Pulchritudo corporis inquit *Cic. 1. officiorum* aptâ compoſitione membrorum movet oculos atque delectat. Optimè hoc collebat *Bacchis* apud *Terentium* unde *Heauton. act. 2. ſc. 4.* dicit: Forma impulſi noſtra nos amatores colunt, hæc ubi mutata eſt, illi ſuum amorem alio conferunt. Nam ſecundum *Theognidem:* ὅττι καλὸν φίλον ἐστι· τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστι, *quod pulchrum eſt charum eſt; non ſunt deformia pulchra.* Et jure merito Græcis *pulchrum* dicitur καλὸν διὰ τὸ καλεῖν, *à vocando*, quia provocat animos ad ſui amorem pulchritudo. Cumque oculi ſint quaſi feneſtræ & viæ per quas amor & deſiderium hujus objecti pulchri in mentis arcem intrat, non imprudenter dictum, quod ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται τὸ ἐρᾶν.

Notus quidam, qui ſimulac irâ incandeſcebat, priapiſmi invaſionem experiebatur, eaque de cauſa querelas non ſemel ad nos deferebat.

Navigationem ad *Paphum* intermittentibus, Venus nonnunquam pœnæ loco ſatyriaſin immittit. Hinc cælibes, moniales alique à quibus excernendum ſemen retinetur, ſæpe ſatyriaſi laborant.

CAPUT

CAPUT IX

cauſas præternaturales per tractat.

NOn ſolùm naturales, & non naturales, ſed & præter naturales res, morbi ſcilicet & naturæ aberrationes ſatis potentes exiſtunt auctores ad præſentes affectus introducendos.

Calculo & urinæ ſuppreſſione laborantibus, ſæpè virilia erigunguntur ob urinæ calculique reſtagnantis ardorem, & moleſtam titillationem, quam moleſtè ferentes ægri, locum fricant affectum, malámq; repdunt deteriùs.

Podagricos ſimiliter in venerem ſæpè agit humorum in ipſorum corporibus redundans acredo.

Quibus ob naturæ luſum quantitas organorum generationi dicatorum eſt aucta, quàm maximè ſolent eſſe libidinoſi.

Τρίορχοι tres habent teſticulos, quorum multa exſtant in anatomicorum ſcriptis exempla, & quam abundantiã novit in qvadam familia perpetuam *Fernelius lib.* 1. *de part. morb.& ſympt.c.8.* valdè luxurioſi & immoderatæ libidinis ſunt, confirmantibus hoc obſervationibus *Montano, tom. 4.cap.37.* & *Foreſto libr. 27. obſ. 15. in ſcholio.*

Κρυψόρχιδες teſticondi, quibus teſtes ita ſurſum ſunt attracti, ut intus in inguine lateant abſconditi, nihilque propendeant, reliquis ſalaciores judicantur, uti probat exemplum teſticondi allatum *ab Excellentiſſ. Rollfincio ord. & meth. generat. dicat. part. p.29.*

Claudos ſalaces eſſe perhibet *Ariſtoteles*, ejusque rei cauſam *ſect. IV. problem. 32. & ſect. 10. preblem. 24.* affert, quòd alimenti pars vitiato cruri deſtinata, ad genitalia membra ſurſum confluat; undè major ſeminis proventus.

Penis ulcera teſte *Rondelitio meth. curand. morb.* frequenter priapiſmi exiſtuntcauſæ.

CAPUT X
cauſas ſupranaturales ſiſtit.

QUemadmodum juratus generis humani hoſtis Diabolus vel ipſe, vel per ſua organa, ſagas, lamias atque ſtryges ſæpè multos honeſto conjugio junctos ad coitum & ſobolis procreationem ineptos reddit, qui tunc ligatorum nomine veniunt: Ita è contrariò etiam inſtigat atque impellit mortales varias illecebras & irritamenta ad venerem eis offerendo, ad ſpurcam libidinem. Veneficæ ad hunc finem obtinendum ſtrenuam ipſi præſtant operam. Illæ enim incantamentis & maleficiis amorem illicitum in multorum excitant animis. Amatoria incantamenta ut ſcripta virorum clarorum teſtantur, hoc modo ab ipſis parabantur antiquitus. Confingebant ex luto aut cera idolum ad amantis ſimilitudinem, hoc poſtea quibusdam verbis obmurmuratis liquabant, ceu teſtis eſt *Virgilius ecclog. 8*:

Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit,
uno eodemque igne, ſic noſtro Daphnis amore.

Urebant & interdum laurum, uti ibidem *Virgilius* aſſerit,

Daphnis ne malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.

Memorabile præſtigii diabolici exemplum habet, ex *Budæo Camerarius Hor. ſubciſ. Cent. 1. c. 70. Menippo, Lycius* qui erat, ſoli in via aliquando iter facienti phantaſma occurrit, ſpecie muliebri, quæ apprehensâ ejus manu, jam diu amore ejus captam ſe eſſe dicebat, Phœniſſam ſeſe eſſe origine & in ſuburbio habitare Corinthi. Quò ſi venire Menippus conſtitueret, ſe eum cantilenam cantando mirè oblectaturum, vinumque ipſi propinaturum, quale antea nunquam bibiſſet, ſeque unà cum ipſo victuram, formoſam cum formoſo. At poſteà ubi dolus detectus conſtitit, fuiſſe illam Empuſarum unam, quæ rebus venereis gaudent, huma-

humaniſque carnibus delectantur: & quos comeſſe ſtatuerunt, eos ante ſollicitant amoribus venereis.

Aliud huic analogon exemplum eodem recenſet capite *Camerarius* de viro quodam nobili & milirari, cui cum montem, non procul à rupe celeberrima, in qua naturâ & arte longè munitiſſima arx *Wilia* ditionis Wirtenbergicæ ſita eſt, equo adſcenderet, ſimile ſpectrum inſtar formoſi ſcorti in ſemita quadam ſeſe exhibuit, quod multis laſcivis geſtibus ad venereos congreſſus tàm diu illum allexit, quoad equo relicto libidinoſis actionibus indulgeret. Verùm cum his impuris rebus occuparetur: ecce ſpectrum vel phantaſma illud ſub eo evaneſcit, & aviculæ picæ inſtar diu de arbore in arborem volitando mirifico garritu, quaſi ſtoliditatem & lubricitatem ipſius homini chriſtiano indignam ſubſannaret, eum proſecutus eſt.

Saxo Grammaticus antiquiſſimus Daniæ hiſtoriographus meminit à Dœmonæ in Dania factum fuiſſe, ut poſt coitum viri more canum cohærerent cum fœminis.

CAPUT XI
differentias rimatur.

I. SAtyriaſis alia eſt *mitior*, ubi æger quidem ſtimulos ad Venerem experitur, at quia cauſa vel non tàm vehemens exiſtit, vel etiam ſemen irritans diſcutitur, ſimulque patiens recto mentis dictamine utitur ac perpendit, ſi Veneris adiret ædes, perindè ſibi evenire poſſe ac illis beſtiis, quæ ſpeluncam leonis ingreſſæ non revertebantur, à libidinoſis actionibus abſtinet. Alia *vehementior*, ubi ardens coeundi deſiderium eos angit, atque intolerabili Veneris cupidine ferè contabeſcunt, ut proindè non immeritò ob hæc ſymptomata cum *Alceſimarcho* apud *Plautum in Ciſtell. act. 2. ſc. 1.* exclamare poſſent:

Jactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota miſer,
examinor, feror, differor, diſtrahor, diripior, ita nullam mentem

animi habeo, ubi ſum, ibi non ſum, ubi non ſum ibi eſt animus.

Priapiſmus quoque eſt, vel mitior vel vehementior, prout membrum genitale à flatibus fortius vel remiſſius diſtenditur.

Eſt & priapiſmus alius *diurnus*, qui de die affligit, alius *nocturnus*, qui de noctu invadit. Cuidam viatori referente *Forreſto lib. 16. obſ. 9.* per totam ferè noctem rigidum manebat membrum, ut eidem moleſtiſſimum eſſet.

II. SUBIECTI ratione, tùm ſatyriaſis tùm priapiſmus eſt, vel per πρωτοπάθειαν vel per δευτεροπάθειαν.

III. *Cauſarum* intuitu, ſatyriaſis alia eſt à ſeminis abundantia, alia ab errore naturæ in partibus genitalibus patrato, alia à medicamentis aphrodiſiacis, alia ab impulſionibus & illuſionibus diabolicis.

Priapiſmus alius eſt à flatibus, alius ab ulcere penis, alius à ſupino decubitu, alius ex in caleſcentia coitus, & tunc laſſitudo videtur tenſitiva, uti loquitur *Rondeletius*.

CAPUT XII

ſigna diagnoſtica deſignat.

SIgnis haud opus eſſe multis ad dijudicandos diſcernendosq; præſentes hoſce affectus: firmiter arbitramur.

De ſatyriaſi haud facilè quis quærelas ad medicum deferet, & ſi aliquis religione quadam ductus, eſſet delaturus, in promtu erit ſatyriaſin contra diſtinguere ab affectibus ipſi aliquo modo confinlbus.

Ab amore inſano & furore utorino diſcernitur, cum nulla in ſatyriaſi delirii veſtigia ad ſint, ſed mens ſana ſuo genuino fungitur officio.

A reliquis partium genitalium affectibus, ut pruritu præputii, dijudicatur, quod in organis ſatyriaſi laborantium non inveniant-

niantur, ſquammulæ ab acrib9 & ſuperficiem glandis exulcerantibus humorib9 genitæ. Niſi fortè quis huc revocare velit partium ſpermaticarum inflammationem, quæ nonnunquam ob diu affligentem ſatyriaſin, & materiæ acrimoniam, dicta corripit loca.

Bini autem præſentes affectus à ſe invicem diſcernuntur, quòd priapiſmo laborantes ſint citra veneris appetentiam, & licet membrum virile firmum ſumſerit incrementum, atque in longum & ſpiſſum auctum ſit, ut palæſtritam generoſum diceres: tamen in caſſum nulloque opere fructu, utor verbis *Levini Lemnii lib. 1. cap. 9.* mulieres fatigant; detonant quidem in eas, ſed nulla ſubſequitur pluvia, nec internæ partes atque uteri receſſus roſcido liquore madefiunt, atque irrigantur. Habent ſiquidem illi inflatus venas, ventoque turgidas, ſed ſemine deſtitutas.

Porrò nec priapiſmus coitu mitigatur, ſed æquè ut ante affligit.

Satyriaſi laborantes planè contrario ſe habent modo. Siquidem ibi adeſt coitus concupiſcentia, cum magna copia ſeminis & ingenti voluptate, quæ per factum coitum aliquo modo minuitur.

Poſſumus autem aliquo modo hariolari hunc vel illum ſatyriaſi eſſe correptum, ſi ipſum ſæpiùs gynecæis & mulierum virginumque conventibus intereſſe, ipſis inſervire, & amantium more cum illis vivere, viderimus.

Galenus mulierem romanam, *Pyladis* ſaltatoris amore teneri ex pulſu cognovit.

Eraſiſtratus Antiochum amore erga *ſtratonicem* novercam affectum eſſe, ex pulſu deprehendit, uti refert *Galenus lib: de præcognitio ad poſthumum. c. 6.* Quomodo inquiſitionem iſtam inſtituerit *Eraſtiſtratas* juvenisque deprehenderit amorem, clarius innoteſcet, ex hiſtoria quam recenſet *Valer. Max. lib. 5. cap. 7.*

Similem in modum *Foreſtus lib. 10. obſervat 30.* puellæ cujusdam 22. annorum bonæ conſtitutionis, obeſulæ, & faciei non

illiberalis amorem erga juvenem quendam, pulſu cognovit.

Nam uti rectè dixit *Avicenna* pulſus, color &, diſpoſitio alteratur, cum fit rememoratio ejus, quod diligitur propriè, & cum obviat ei ſubitò.

Dùm verò hîc amoris per pulſum cognoſcenti multam facimus mentionem, non abs requæritur:

An detur pulſus aliquis amatorius?

Qui affirmativam tuentur allatis modò ſe muniunt exemplis, ut & quod omnis animi affectus pulſum mutet ac ſingularem pulſus excitet ſpeciem.

Sed contrarium ut adſtruatur & autoritas excellentiſſimorum medicorum & ſana ratio ſuadere videtur.

Galenus qui diligentiſſimus fuit in omnibus ſpeciebus pulſus inveſtigandis, dignoſcendis & proponendis, ut & reliqui medici celebres, qui de pulſibus ſcripſerunt, talem pulſus ſpeciem non agnoſcunt. Expreſsè enim contra eos, qui talem pulſum dari ſtatuunt, diſputat *Galenus lib. de præcognit. ad poſthumum cap. 6.* hunc in modum: Nugæ ſunt, quod aliqui ajunt, pulſum amatoriè moveri eorum, qui vel neſciunt amoris pulſum nullum eſſe, vel putant re quapiam animo perturbato pulſum non immutari. Et *Foreſtus l. 10. ſcholio obſerv. 29.* Amantibus nullus peculiaris pulſus reperitur, ſed turbatis ſimilis. Etenim ſi proprius eſſe debet amori, ut ex eo certò dignoſci poſſit, etiam inſeparabilem eſſe oportet, ut poſito hoc pulſu, ponatur amor, remoto, removeatur, alioquin proprius non eſſet, ſed æque aliis affectibus & perturbationibus animi indicandis communis, ac amori. Fatemur quidem in amore pulſus eſſe mutationem, varium illum tunc eſſe, inconſtantem, inæqualem, inordinatum, ſed certum & determinatum, adeò ut inæqualitatis, & inordinationis certum obtineat gradum modumque, ut eô ab aliis diſcrepet, probari nequit. Nam dicere pulſum mutari, non eſt peculiarem ejus ſpeciem conſtituere, quæ à reliquis diſtinguatur. Sic igitur in amore pulſus mutatur, quemadmodum in reliquis animi affectibus, in quibus nullam peculitarem ſpeciem

ciem conſtituit nemo enim eò dementiæ abiit, ut pulſum iræ, mœroris, gaudii adſtruxerit.

Libidinis æſtro affectos olere hircum non inficiatur *Langius lib. 2. epiſt. medic. 6.*

Turcois geſtatus ab homine libidinoſo, colorem ſuum ceruleum mirum in modum immutare, dicitur.

Similem in modum de ſmaragdo commemoratur, quod venereas adeò averſetur res, ut ſi cutem exercentis venerem tangat, disrumpatur. Ubi obiter & ὡς ἐν παρόδῳ notamus, non ex occulta aliqua hoc fieri qualitate, aut quod ſenſus quidam lapidibus iſtis inſit, uti multi opinati ſunt; ſed ex ſatis manifeſtis inque ſenſus incurrentibus cauſſis. Cum enim ſalacis hominis corpus multis ſcatere poſſit vitioſis humoribus, qui corpore incaleſcente, poriſque cutis ſe aperientibus magis exhalant, fieri aliter non poteſt, quàm ut inquinent, obſuſcent, imò diſſolvant, & inſtar menſtrui alicujus calcinent quaſi hoſce lapides pretioſos.

Porphyrio caſtiſſima avium, cuſtos pudicitiæ, ſi adulterium admiſſum, naturæ ſagacitate ſingulari deprehenderit inediâ ſe conficere, imò vel conſpecto tantùm ſcorto mori dicitur, ut ex *Athenæi lib. 9. & Tzez: chiliad. 9. v. 112.* refert *urſin. acer. philolog. lib. 2. n. 218.*

CAPUT XIII

ſigna habet prognoſtica.

GEnerale non minus, quàm verum prognoſticon habet eloquentiæ parens *Tullius, in Catone majore*: Libidinoſa & intemperans adoleſcentia, effœtum corpus tradit ſenectuti. Prognoſis verò medica, quæ verſatur circa prædictionem ſalutis & mortis, longitudinis & brevitatis, modi eventus, inſtituatur in duobus hiſce præſentibus affectibus, & quidem

I. Quoad SALUTEM & MORTEM, ſumto preſagii fundamento

a. à

(α) *à genere.* ſatyriaſis licèt tam periculoſus non ſit affectus, ac priapiſmns, tamen & turpe & non omnis periculi expers eſt. Si enim eò uſque durat, ut veſiculas ſeminales invadat inflammatio, eaque non finiatur, eadem genituræ conceptacula in langvorem, reſolutionem aut convulſionem ex hoc vitio præcipitantur, moriunturque in convulſione iſta celeriter homines cum tumore alvi & frigido ſudore docente *Paulo. lib. 3. cap. 56.* Aſt priapiſmus majore diſcrimine conjunctus eſt, & celeres medici manus auxiliatrices efflagitat. Nam, teſte *Aëtio*, ex præcipiti perire ſolent niſi confeſtim eis auxilium feratur. Quò igitur vehementius affligunt hi affectus, eò majus portendunt malum.

β. *à ſubjecto.* Si eſſentiales ſunt hæ affectiones, arguunt ſui magnitudinem, nec periculo vacant; per conſenſum ſi fiunt, res quidem eſt in vado, danda tamen quàm primùm opera, ne mora & cunctatione occaſio, quæ præceps, aufferendi hoc malum, elabatur, & ita tandem ſucceſſu temporis eſſentialem partibus imprimat characterem.

Sexus virilis majus damnum à nimia venere expectat quàm ſequior ille & delicatior.

γ. *à cauſſis.* Si à ſeminis abundantia oritur ſatyriaſis, nec ſemen excernatur, nec aliis modis imminuatur, metus eſt, ne retentum ſemen computreſcat, & ita inflammationem periculo mortis haud vacantem inducat.

Si ob errorem naturæ in partium genitalium vel numero vel ſitu commiſſum malum hoc foveatur, impetu magno feruntur in libidinem; ſin fomes in aſſumtis medicamentis venerem ſtimulantibus, idque in homine aliàs ad illam pigro, non adeò periculoſa eſt. Diabolica ſi ſubſit cauſa metus tantò major incutitur, quantò majores ſunt inſidiæ, quas hic miſanthropus humano ſtruit generi, & quantò difficilius eſt ex diabolicis ortam cauſſis ſatyriaſin, arte tollere medicâ, diabolumque fugare. Delirare enim illos arbitramur, qui ad fugandum dæmonem uſum nonnullarum herbarum commendant, quo in cenſu præ reliquis extollunt hypericum, cui ingentem aſſignant

virtu-

virtutem pellendi diabolum, ſi in ædibus ſuſpendatur, ut & ideò ſuga Dæmonum ſit appellatum. Cujus erroris convincit *Simon Pauli Quad. botanico p. 349. Johannem Portan, qui lib. 3. philog. cap. 13.* de hyperico eundem ſomniaverat errorem, verba ejus hæc ſunt: Hypericon vehementiſſimè Dœmones ejicit, ob id vulgò fuga Dœmonum nuncupatur, quia obſeſſi nec odorari nec ſupra ferre valeant. His in balneis aut ſuffitibus aut geſtationibus uſi ſumus ſæpiſſimè, ad obſeſſos à Dœmonibus liberandos, hæc Porta. Pari ratione errant & fruſtra ſunt, qui *buxum*, de quò vid. *Sim. Pauli Quad. botan. p. 37. Antirrhinum*, & alias res Dœmones fugendos commendare haud dubitant.

Priapiſmo laborans, quô magis ſcatet impuris humoribus, flatus augere valentibus, eò etiam magis vitæ hic affectus inſidiatur.

Ab ulcere penis ſi oritur ſatis exiſtit perniciosſus.

A ſupino decubitu inductus, reliquis tutior.

II. LONGITUDINIS ſigna ſunt in ſatyriaſi, ſi magna adfuerit ſeminis copia, ipſeque homo hâc moleſtia affectus fuerit bono corporis habitu, utatur cibis boni laudabilisque ſucci Longam quoque hujus mali durationem pollicentur errores naturæ in partibus ſpermaticis. A medicamentis ſatyriaſis brevior reliquis, virtute namque medicamenti aphrodiſiaci, per multivarias alternationes in corpore humano factas, ſublatâ, & ipſa ceſſat. A cauſis diabolicis excitata ſæpè per multos annos homines infeſtat, & ad multa impellit peccata.

Priapiſmus nonnunquàm per mediam, nonnunquàm per integram noctem, ut & per integram diem ſatis moleſtas creat moleſtias.

Ab ulcere penis priapiſmus cum ablatione ulceris remittit.

A decubitu ſupino priapiſmus, cum reclinatione in alterutrum latus, ceſſat.

III. MODUS EVENTUS. Terminatur ſatyriaſis in ipſam mortem, ſi alii lethales morbi ac ſymptomata eam ſuperveniunt dum nimiùm Veneri inſervitur. Etenim, quando ſemen frequenti

coitu præter modum evacuatur, totum enervatur corpus, flaccida & marcida redduntur membra, nec ampliùs ſuis functionibus obeundis ſunt apta, adeoque mortem præmaturam accelerant, vitamque abbreviant. Undè forſan veteres, teſte *Cœlio Rhodigino lib. 29. cap. 13.* Venerem non ſolùm ut præſidem natalium, verùm etiam ut mortis coluerunt.

Adoleſcenti nobili, unâ nocte inter duas puellas laſcivienti & plus quàm 13. amplexus experienti, vena ſubitò in pectore perruptâ fuit, inq; febrim ardentem incidit, ex qua, nullis remediis quicquam juvantibus, inter quatuor dies miſerè obiit, cum maximo delirio. *Foreſtus lib. 2. obſ. 20.*

Cornelium Gallum, *Quintilium Heretium* Romanos equites nimiô Veneris uſu extinctos eſſe, ſcribit *Plinius lib. 7.*

Novelli ſponſi nonnuunquam à nimio Veneris exercitio ſcabie & ipsâ lue gallicâ corripiuntur, propter vehementem ſangvinis & ſpirituum motionem & effervefcentiam. Interdum, iis etiam ante nuptias obrepit, dum nimio amore fervent, & tunc noſtrates vocare ſolent, Die Brautfreude. Vide *Excellentiſſ. Rollfinc. diſſert. de ſcabie cap. 4.*

Cancrum, qui ſolet
ſerpere & illæſas vitiatis addere partes.
produci ab immoderatis certaminibus veneris, exemplis demonſtravit *Rhodius Cent. 3. obſ. 39.*

Animi deliquio correptum ex nimia venere vide apud *Balthaſ. Timæum* von gülden Klee *lib. 2. caſ. 17.*

Venerei coitus, præſertim ſi vel paulutùm vires exceſſerint, ſubitò exhauriunt ſpiritus imprimis ſubtiliores, cerebrumq; debilitat, labefactant ſtomachum atque præcordia, quo malo nihil ingenio adverſius eſſe poteſt, ait *Marſilius Ficinus lib. 1. cap. 7. de ſtudioſorum ſanitate tuendâ.*

Exemplum doloris capitis à coitu nimio oborti, vide apud *Foreſtem lib. 9. obſ. 29.*

Herculem immoderatius veneri indulgentem, poſt tantos virium conatus, in comitialem incidiſſe morbum, ſcribit *Andreas Baccius lib. 3. de vinorum Natura cap. 20.*

Apo-

Apoplexiæ à Veneris exceſſu exempla videantur apud *Platerum in obſervat*: & *Henricum ab Heer in obſ. rar.*

Calvitiem incurrunt præmaturam ſalaces & in Venerem propenſi, teſte *Langio lib. 2. epiſt. medic. 7.*

Ad *ſalutem* vergit, ſi ſatyriaſi laborans ratione potiùs, quàm ſenſu ducitur, ſeque à nimia Venere temperat, eâque non libidinis ſatiandæ cauſsâ, ſed ad liberorum procreationem, ſanitatisque conſervationem utitur. Datur hîc loci occaſio disquirendi, *conducatne coitus morbis abigendis?*

Magna hîc occurrit opinionum diverſitas, undè non minima, hanc quæſtionem decidendi, oritur difficultas.

Negantium pars ſe munit dignitate ſeminis, quàm agnoſcentes viri in philoſophia excellentes variis, nominibus ejus nobilitatem exprimentibus, ſemen indigitarunt. *Pythagoras*, laudabilis & optimi ſanguinis ſpumam, *Alcmæon*, cerebri particulam, *Plato*, medullæ ſpinalis effluxum, *Zeno Citicus*, ſpiritum, animæ ſpolium cum humido emiſſum, *Epicurus*, corporis & animæ evulſum quiddam eſſe, dixerunt. Eâ de cauſsâ *Avicenna* drachmam unam ſeminis plus valere quàm quadraginta ſangvinis judicavit. Et *Hippocrates lib. de genit.* robuſtiſſimum quiddam ſemen eſſe ſcripſit, argumento, quod paucula re emiſſa langvor exoritur.

Deindè addunt ſi quos morbos juvaret coitus, aut eſſent pituitoſi aut melancholici. Pituitoſis venus non poteſt eſſe commodo dicunt, quia refrigerat & humectat, & hac ratione magis augeretur pituita, quàm imminuretur. Nec melancholicis affectibus proficua, nam ſunt illi itidem frigidi & inſimul ſicci. Quî ergò fieri poterit, ut eos juvet venus, cùm vim habeat refrigerandi, ſpiritus diſſipandi? Tum ſcatent melancholici flatibus, quos venus adauget, ideò ſcribit *Hippocrates 6. epid 3. text. 12.* Multis, cum venere utuntur, inflari ventres, excitari in aliis ſtrepitum, per ſtrepitum verò flatus exeuntes per anum intelligit. De hiſce flatibus exemplum habet *Aëtius* de adoleſcente quodam, qui ubi muliere commiſcebatur, loco ſeminis multos crepitus emittebat.

Denique graviſſimorum hominum ſententias adducunt, qui ne ſanis quidem veneris commercium permiſerunt. Interrogatus *Clinias Pythagoricus*, ὁπηνίκα δεῖ μάλιστα γυναικὶ προσιέναι, *quando mulieri commiſceri expedit?* reſpondit: ὅταν μάλιστα τυγχάνῃς βλαβῆναι βουλόμενος, *quando quis maximè vult lædi.*

Democrito, coitus epilepſia parva audit. *Epicurus*, ut ſcribit *Galenus 3. art. med. 18.* nullum veneris uſum ſalubrem eſſe dicebat.

Quis ergò ea adhiberet præſidia ægris, quæ ne ſanis quidem hominibus competunt?

At hi homines nimis duriter cum hac ex Cypro Dea agunt, & iniquam de ea ferunt cenſuram, dum uſum, qui laudem, ab abuſu, crimen qui habet, diſcernere neſciunt. Hinc qui mitius, rectiùs ſentiunt, & rationibus & auctoritatibus ſuffulti moderatum veneris exercitium proficuum, nonnullisque morbis abigendis aptum pronunciant adminiculum. Ita namque de ſeminis evacuatione philoſophari par eſt, ut de aliorum humorum excretione. Quemadmodum à bile producti morbi, bilis evacuatione curantur, ſic qui fiunt à ſemine retento, ſeminis emiſſione tolluntur. Morbos verò à ſeminè fieri & intermiſſum veneris uſum periculis exponere innuptas virgines & viduas, ſatis compertum habent medici praxin facientes, quibus ex ſexu ſeſequiori (qui frequentius læditur à ſemine retento ac viri) occurrunt chloroſi, paſſione hyſtericâ, melancholiâ uterinâ, imò ipſo furore uterino laborantes.

Nec obſtat, quòd ſemen ſit pura quædam ſubſtantia, familiaris, grataque apprimè naturæ, undè tot nobilia ſortitum eſt nomina à philoſophis. Poteſt enim non minus, ac ſanguis laudabilis plethoricis, eſſe oneri, aut cunctatione aut remorâ pravam aliquam qualitatem acquirere, ut monſtravit *6. de locis aff. 5. Galenus.*

Pituitoſis & melancholicis moderatum veneris uſum conducere, & virorum in arte medicâ celebrium auctoritas, & rerum magiſtra experientia, confirmat.

Me-

Medicinæ parens *Hippocrates 6. epid.* venerem morbis à pituita eſſe remedium aſſerit.

Paulus Ægineta lib. 1. c. 35. τοῖς ἀπὸ φλέγματος νοσήμασι μίσγεσθαι κράτιστόν ἐστι. *Morbis pituitoſis coitus optimus.* Et mox melancholicis prodeſſe teſtatur his verbis, καὶ τῷ μελαγχολικῷ, ὥστε καὶ ἕτερον ἴαμα ἐπιτηδειότατον μίσγεσθαι. *Et melancholico, ſi quod aliud, remedium commodiſſimum eſt, coire.*

Celſus quoque *lib. 2. cap. 1.* veneris uſum ad ſanitatis reparationem conducibilem agnovit, undè expreſsè aſſerere auſus: ſi quæ morborum genera, neque pubertate, neque primis coitibus, neque in fœminis primis menſtruis finita ſunt, ferè longa ſunt. Ubi videre eſt, *Celſum*, non in ſola pubertate, ſed etiam in coitum ſpem convaleſcentiæ & morbi brevitatis, collocaſſe. Et mox loquens de comitiali, eum, inquit, ſi remedia non ſuſtulerint, in pueris veneris, in puellis menſtruorum initium tollit. Eadem fuit mens multorum aliorum, quinimò affirmat *Aret. 1. de curat. morb. diut.* fuiſſe medicos, qui venerem adeò utilem eſſe epilepticis crediderunt, ut impuberes quoque comitiali laborantes, hortati ſint, ut venere intempeſtiva uterentur.

Nec exempla deſunt eorum, qui veneris uſum ceu medelam ſunt experti.

De *Timochare*, qui hyeme deſtillatione in nares vexabatur, teſtatur *Hippocrates lib. 5. epid.* quod poſt veneris uſum cuncta fuerint exſiccata.

Filius *Agaſidis Ariſto*, uxorem duxerat puellam ἥντινα παρθένων μὲν τῶν ἐν Λακεδαίμονι εἶναι φάσιν αἰσχίστην, γυναικῶν δὲ τὸ εἶδος καλλίστην ἀπὸ Ἑλένης γενέσθαι, *quam ſpartanarum omnium virginum fuiſſe tradunt turpiſſimam, mulierem verò omnium Helenam formâ præſtantiſſimam.* Venus igitur ſi ſuos non exceſſerit limites legitimos, ſed inſtituitur, reſpectu habito ad moderationem, temperamentum, tempus, honeſtatem, uti in hiſce rectum medicæ veneris uſum conſiſtere docet *Rollfincias meth. med. ſpec. comment.* ὡ ἐν γένει, multis beat felicitatibus mortales; uti è contrariò, ſi nimis frequens fuerit, multa infert damna, vitale nectar, viresque omnes protinus exhauriendo, totumque corpus deſtruendo.

CAPUT XIV
de curatione in genere agit.

POſtquàm jam contemplationi indolis & naturæ horum affectuum, ex cauſſis ſignisque depromtæ, ultimam impoſuimus manum, reſtat, ut ad curationem properemus, iisdemq; ſalutaribus præſidiis quàm citiſſimè occurramus. Quod enim, *teſte Camer. cent. 1. cap. 53.* Veteres ſapientes ſvadebant, maturè expellendum nimium amorem, tanquàm feram, priusquam ungues & dentes producat; & cui ſimilem in modum accinit poëta,

Dum novus eſt, cœpto potiùs pugnemus amori,
flamma recens parva, ſparſa reſedit aqua:

Idem in tollendis hiſce affectibus locum habet, & jure merito obſervandum venit.

Deteſtamur autem illos crudeles modos refrænandi & abolendi amorem venereum, quo multi leguntur uſi in hiſtoriarum monumentis.

Crudele & non imitandum erat genus curæ, quod Chaldæi ſvadebant *M. Aurelio*, ut adhiberet ad tollendum ardorem ingentem conjugis ſuæ *Fauſtinæ*, quo erga gladiatorem flagrabat: Res tota ſic ſe habebat. Cum aliquando *Fauſtina* gladiatores tranſire vidiſſet, unius ex his amore accendebatur, cumque longâ laboraret ægritudine, viro tandem amorem confitetur ſuum. Quod ad chaldæos referens *M. Antonius* hoc ipſi dant conſili, ut occiſo gladiatore ejus ſangvine *Fauſtina* ſeſe ſublavaret, atq; ita cum viro concumberet. Quô factô amor fuit ſolutus. *Chriſt. Matth. theat. hiſt. p. 574.*

Similiter illicitus non modò, ſed & cum vitæ diſcrimine conjuncta erat cura quando in *Leucadia*, ex loco excelſo ſe in mare præcipites dabant, flammas venereas compeſcendi & amoris obliviſcendi gratiâ. De quo curationis ritu *Ovidius* ſub perſona *Sapphi* ita canit:

Conſtitit & dixit, quid nunc non ignibus æquis
ureris? Ambraciæ eſt terra petenda tibi.
Phœbus ab excelſo quantum patet aſpicit æquor,
Actæum populi, Leucadiumq; vocant.
Hinc ſe Deucalion Pyrrhæ ſuccenſus amore
miſit, & illæſo corpore preſſit aquas.
Nec mora, juſſus amor fugit lætiſſima merſi
pectora: Deucalion igne levatus erat
Hanc legem locus ille tenet: pete protinus altam
Leucada, nec ſaxo deſiluiſſe time.

Cybeles quoque genus ſacerdotum apud paganos ſibimetipſis crudeles extiterunt medici. Nam ut caſtè viverent, nullaque eos invaderet libido, membrum genitale ſibi abſcindebant. Cultro hunc in finem ex acuto ſilice parato uti indigitat *Catulus*, quando canit:

Devolvit illa acuto ſibi pondera ſilice.

Nos immanem hanc therapiam ipſis relinquimus, operam dantes, ut faciliori negotio, mitiore modo affectus tollamus, & non minus hîc, quàm alibi jucundè, citò & tutò curationem inſtituamus.

Ad hunc ſcopum eò facilius obtinendum multum conferet, ſi ſecundum tres indicationes therapiam aggrediemur.

CURATORIA eſſentiam ipſius morbi reſpicit, cauſas, pravamque diſpoſitionem tollit.

PRÆSERVATORIA impedit, ne detur proventus cauſſarum inducere valentium hoſce affectus; quod ſane non minus præclarum atque artificioſum quam præſentem jam fugare morbum. Hinc etiam *Demades* affirmabat majorrem gratiam deberi medicis, qui ingruentem morbum arcerent, quàm ſævientem jam depellerent; ſiquidem magis optandum ſit non experiri malum, quàm eo liberari.

VITA-

VITALIS viribus opem fert, & ne nimium frangantur, vel ſi jam fractæ fuerint, ut reficiantur, proſpicit.

Harum indicationum materias ex triplici uſitato in foro medico fonte haurimus, chyrurgico nempe, pharmaceũtico, & diæthettico.

CAPUT XV.

fontem conſulit chirurgicum.

DEvenimus nunc ad illud *μέγα βοήθημα* magnum auxilium, cujus inventio debetur Hippopotamo, ſcilicet ad venæ ſectionem. Hæc in ſatyriaſi perquam ſalutaris judicatur, cùm non ſolùm ſanguine detracto ſeminis generationi multum detrahatur, ſed & inſimul admiſti reliqui humores acres evacuentur.

LOCI & venarum hîc curioſum non inſtituimus delectum, ob inventam ab *Harvejo* circulationem ſanguinis, ſed venam quamcunque, modò evidens ſatis ſit aptaque operationi, tundi permittimus.

Avicenna medianam, baſilicam & cephalicam in ſatyriaſi ſecat.

Venæ poſt aures in ſacerdotibus pontificiornm ad libidinem reſtinguendam incidebantur, referente *Schlegelio* in diſſertatione *de venarum delectu*. Hoc ut facerent permoti forſan fuere auctoritate *Hippocratis*, qui aperturam venarum poſt aures ipſam ſterilitatem inducere arbitrabatur. Ejus hæc ſententia videri poteſt *lib. de aëre aq. & locis* ubi de curatione gentis Scythicæ, quam miſſo ſanguine è venis poſt anres inſtituunt judicium fert; Ἐμοὶ μὲν οὐ δοκέει ἐν ταύτῃ τῇ ἰήσει διαφθείρεσθαι. Εἰσὶ γὰρ παρὰ τὰ ὦτα φλέβες, ἃς ἐάν τις ἐπιτάμῃ, ἄγονοι γίνονται οἱ ἐπιτμηθέντες. *Ac mihi quidem videtur hac curatione ſemetipſos pedere. Venæ enim juxta aures ſunt, quas ſi quis incidat, ſectione ſterilitatem inducunt.*

QUAN-

QUANTITATEM & continuam & diſcretam extrahendi ſanguinem, prudenti medico & exercitato chirurgo indicabunt, ægri habitus corporis, aër, in quo degit, victûs vitæque conditio, quâ utitur, temperies, quam obtinet, ætas quam agit, anni tempus & regio, in qua vivit, ſexus diſcrimen, ſanguinis exeuntis impetus & qualitas, tandemque quod ferè inſtar omnium eſt, tenor virium.

TEMPUS quæſiti, in ipſo ſtatim morbi principio illam adhibendam edicimus, quo malum, dum adhuc eſt in herba ſupprimatur ſecundum decantatos verſus:

Principiis obſta, ſerò medicina paratur,
cum mala per longas invaluêre moras.

Operatio *ἀγκτηρiασμὸς infibulatio* dicta, hîc quoque locum habere poteſt. Hâc infibulatione olim teſte *Mercuriali variar. lect. lib. 1. cap. 19.* utebantur ut virgines apud lenones à ſervis defenderent, & ne citharœdi, comœdi, & hiſtriones (qui non ſermone, ut hodiè fit, ſed altis vocibus cantibusque fabulas tàm tragicas, quàm comicas recitabant) dùm operam darent veneri, raucedinem & vocis aſperitatem contraherent. Lora ejusmodi ad infibulandas mulieres ſubleſtæ quæ ſunt fidei, in nundinis celeberrimam urbium Germaniæ noſtræ venum proſtare, nonnulli aſſerunt.

Quod ſi hęc omnia in caſſum adhibeantur, ad extrema, nempe ad caſtrationem deveniendum eſt, atque in ordinem tertii generis hominum (ſic *Aurelius Alexander Severus* appellabat eunuchos) collocandus eſt ſatyriaſi laborans.

Vetuit quidem hanc marium caſtrationem ſuo tempore *Imper. Romanorum* XII. *Flavius Domitianus Nero*, quem ob id *Martialis lib. 6. Egigram.* ſequenti carmine laudibus proſequitur:

Luſus erat ſacræ connubia fallere tedæ,
luſus & immeritos exſecuiſſe mares.
Utraq; tu prohibes Cæſar, populis futuris
ſuccuris, naſci quod ſine fraude jubes:
Nec ſpado jam, nec mœchus erit te præſide quisqnam,
at prius, o mores, & ſpado mœchus erat.

F Duo

Duo autem ſunt modi evirandi & ſemiviros reddendi, alter τρίψις dictus, quando filsâ ferulâ comprimuntur & confringuntur teſtes, alter ἀφαίρεσις, quando in totum auferuntur virilia & teſtes exſecantur.

Mentionem harum operationem chirurgicarum facit *Ariſtoteles 3. de hiſt. animal. cap. 1.* Διαφθείρουσι δ' οἱ μὲν ἔτι νέων ὄντων, τρίψει· οἱ δὲ καὶ ὕστερον ἐκτέμνονται. *Corrumpere ſolent duobus modis: aut enim teſtes novellos adhuc frangunt, aut adultos jam firmosque excidunt.* Priorem qui ſuſtinuerunt operationem θλίβιαι, θλάσιαι καὶ ἐντριβέντες *teſtes compreſſos habentes*, at qui poſteriorem perpeſſi ſunt modum, ἀδίδυμοι *caſtrati*, appellantur.

CAPUT XVI

de materiis præſidiorum ex pharmacia.

DUm non ſperamus fore ut aliquis laboraturus altero ex hiſce affectib9 tàm demens ſit futur9 ac gynoſophiſta ille Calam9, fuit, qui poſtquam 73. annos absque morbo vixerat, tandem dolore alvi correptus, *Alexandrum* rogare maluit, ut ſibi pyram, in qua cremaretur, exſtrui curaret, quàm, ut medicamentis à medico præſcrpitis uteretur: ad pharmacorum adminiſtrationem jam nos accingimus. Pharmaca, dum hic propinamus, nequaquam intendimus eum vocis pharmaci ſenſum, quo pharmacum in malam partem accipitur, ac venenum ſignificat, undè interdum etiam pharmacia artem conficiendi venenum denotat & veneficia, ſed uti in bonam ſumitur partem & eſt tertia pars methodi curativæ.

Eſt enim apud auctores priſcos græcos hæc dictio anceps & ambigua, palnè ut vocabulum venenum apud auctores latinos, quod nunc pro deleterio, nunc pro ſalutari & benigno remedio uſurpatur, teſte *Gellio noct. attic. lib. 12. cap. 9.* Tria vero φάρμακον apud auctores græcos ſignificat. *Primo* denotat omne medicamen-

camentum ſimplex, quo opem ferimus corpori humano, ut ſunt roſæ, meliſſa, betonica & hujusmodi, quæ dummodò proſint, appellantur pharmaca. *Deindè* & denotat medicamentum magnum edens effectum, & in hac ſignificatione *Hippocrates* vocavit medicamenta purgantia nomine pharmaci, quemadmodum etiam, uti notat *Foëſius in notis ad lib. Hippocratis de ſuperfœtatione, Hippocrati* nomine elaterii venit non ſolùm ipſum elaterium, & purgantia omnis generis, ſed omne expellens medicamentum. Ita dum *Hippocrat. loc. citato* in difficili partu jubet elaterio utamur, idem *Fœſius l. c.* non elaterum ipſum, ſed artemiſiam, aut aliud fœtum expellens medicamentum Hippocratem intelligere evincit. *Tertiò* ſæpè voce pharmaci indigitatur omne genus medicamenti venenoſi & corrumpentis habitum corporis; undè apud *Platonem*, ut & alios reperies, venena interdum dicta pharmaca, ut plurimùm tamen cum epitheto, ut modò βλαβερὸν *Hippocr. lib. 2. de vict. rat.* nunc φθορϱποὸν, jam ανθρωφόνον mox θανάσιμον, *Hippocrati in jurament.* imò δηλητήριον *Galen. l. 6. epid.*

Poſteriorem nominis ſignificationem relinquentes, eam quæ prioribus duobus denotantur, & quidem primò in quantum pharmacum magnum edens effectum κάθαρσιν nimirum denotat, hîc exhibemus pharmaca.

Purgantia & diuretica, puta fortiora, in ſatyriaſis curatione omittenda judicat *Capivac. lib. 3. c. 35.* quiâ augent fluxiones ad genitalia.

Mitiora concedit *Tilemannus*, cum quo & nos in ſatyriaſi lenientia ἐκκοπρωτικὰ dicta, ut & minorativa per ἐπίκρισιν evacuantia, commendamus.

℞ *Seri lactis* ℔. ℥iß. *ſirup. d. portulaca* ℥ß.
rob. rib. purg. ʒj. *eſſ. gialap.* ℈ß.
M. F. Potio. D. S Purgiertränckſein auff 1. mahl.

℞ *Pulp. tamarind. caſſ. recent. extr.* aa ʒj.
pulv. laxat. veget. Roſſin. ℈ß. *pul. macis.* gr. IV.
M. F. c. ſ. q. *ſaccbari* Bolus.

 ℞ Spec.

℞ *Spec. diaturb. c. rhab.* gr. xv. ſcam. 🜍ra. gr. iij.
elæoſacch. caphuræ gr. ij.
M. D. S. Purgierpulver auff 1mal.

℞ MP. *de 5. generib. myrobal. de hermodact.* à ℈j. reſin. gial.
extr. diacarth. centau. min. aa gr. vi.
F. l. a. pilulæ no: xxi. M. S. Purgierpillen.

℞ *rad. polypodii cichori* aa ℥ß.
ſum. cent. min. rutæ. abſinth. aa. mij.
ſenna Alex. ſ. ſ. ℥j. *rhab. gialap..* aa. ʒiij.
ſem. cumini coriandri agnicaſt. rutæ. aa. ʒß.
fl. *anethi baſilici* à p. ij.

Incidenda incidantur, aptentur ad nodulum qui immaccere-tur vini albi menſuris IV. D. S. ſpecies zum purgier Kreuter-Wein.

CLYSTRES in utroque affectu conveniunt, ſed leves non acres.

Quendam, qui poſt coitum inſtar canum junctus remanſerat, quod ex conſilio amici cujusdam balanum, ad augendam voluptatem inuuxerat, ſolis clyſteribus crebrius adhibitis, partes genitales tumefactas molliebat ſicque ſeparabat *Borellus Cent. 2. obſ. 31.*

Ejus ad imitationem adornari poterit ſubjunctum emolliens enema.

℞ *Decoct. florum & fruct.* ℥viij.
electuar. de bac. lauri ℥j. 🝆 *chamomil. rutac.* aa ℥iij.
M. F. l. artis Clyſter. applicetur tepidè

℞ *herb. linar. violar. braancæurſ:* aa Mj.
rad. *lilior. alb. bryon.* aa ℥ß.
fl. *chamomil. rom. melilot.* aa p. iij.
ſem. fœniculi fænugræc. aa ʒiß.
prunor damaſc. ficum ping. aa. No. vii.

Coq. in ſ. q. 🜄. font. Colat. R. ℥ix. cui adde
caſſ. pro clyſt. 🝆 *roſac.* aa ℥j.
🝆Ω *carvi* ʒij. 🜔 *comm. parum*
M. F. l. a Clyſter applicetur legitimè.

VOMI-

VOMITORIA nonnulli hic præferunt purgantibus, cum per vomitum fiat materiæ diverſio nec uti in purgatione ad inferiora commotio & derivatio.

℞ *fol. aſari no.* viij. *cinam* ℈j. in funde per noctem
in vini albi ℥ij. colatura
per linteum facta D. ad vitrum S. Brech Tinctur.

℞ ▽ *raphani* ℥j. *oxymel. ſimp.* ℥ß.
coaguli aſari Hartm. ℈ß. M. D. S. Brechträncklein.

Vel porrigatur ægro poculum regulinum, ex regulo vel vitro ♁nii paratum, ut ipſe huic poculo circa noctem infundat liquoris ſibi grati ℥ij. Mane infuſum ebibat & vomitionem expectet.

SUDORIFERA in utroque affectu locum habent.

℞ *magiſt. ocul.* ♋ *c. c.* aa gr. vij
bezoard. miner. gr. v. *elæoſach. citri* gr. iij.
M. D. S. Schweispulverlein auff 1 mal.

℞ *ſem. cannab. citri aquileg.* aa ʒiß.
f. l. a. emulſio in
▽ ſambuci portulacæ à ℥iij. colat: adde.
♁ *diaphor.* gr. xII *ſirup. ſcorz..* ℥j. M. D. S. ſchwitz Milch.

℞ ▽ *galegæ ſamb.* aa ℥iß. ⁓ ✳ ℈j. *ſirup. meliſſ.* ʒvj.
M. F. Potio. D. Schwitzträncklein auff einmal.

℞ *Eſſ. fumar. tinct. ligni ſaſſafras* aa ℥ß.
extr. ſcorzon. ⁓ *theriacal. camph.* aa ℈ß.
M. D. S. Schwitz eſſentz.

▽. ſimul laxans & ſudorem movens, quam ex manna parat *Dn. Féure* chimicus Regis Angliæ & ſocietatis regiæ londinenſis membrum, etiam in uſum vocari poteſt. Delineavit parandi modum autor in libro ſuo gallico idiomate conſcipto cui titulus, *traité de la chimie, Tom. 1. p. 145. editionis noviſſimæ Pariſiis præterito anno expreſſæ.*

CARMINATIVA ad tolleddos flatus priapiſmum excitantes, poſſunt eſſe ex ſimplicibus radix *zedoariæ, galangæ*: herba *menthæ criſpæ, majoranæ, pulegii*: &c. ſemina, *carvi, fœniculi, dauci, aniſi,* flores, *croci, chamomillæ* &c. compoſita ſunto ▽. *carmina-*

minativa Dorncrellii, ⁓ carminativus *Franciſci de le boy ſylvii praxeos ejus p. 90. deſcriptus* ℴℴ ♌ lata ut *citri*, *carvi*, *cumini*.

Hæc & ſimilia pro arbitrio prudentis medici, & ægrotantis palato, in varia forma præſcribi & exhiberi poſſunt.

℞ 🜄 *alcoholiſati* ℥iß ⁓ * ℥ß.
ℴℴ ♌ *aurant. citri* aa ℈ß.
aniſi, *fænic. menthæ* aa ℈j.

Circulentur per aliquot tempus, quoad olea probe jungantur cum ſpiritibus, de quo exhibeantur gutt. XXV. in liquore convenienti.

℞ ▽ *zedoar. fænicul.* aa ℥iß. *carminat Dornc.* ℥ß.
⁓ *carminat. Franciſc. de de le boy ſylvii* ʒiß.
mag. anod. Rolſincii gr. iij. *ſirup. de cort. aurant.*. ℈vj.
M. D. S. ſonderliche mixtur davon zu weilen ein Löffel voll von zunehmen.

CAPUT XVII
alterantia & ſpecifica adjungit.

UNiverſalibus ſecundum methodi medendi leges præmiſſis, eisque corpus ab impurâ humorum ſaburrâ liberatis, ſpecificâ virtute ſeminis generationem vel impedientia, vel generatum jam abſumentia, in uſum ſunt vocanda.

Agmen hic ducere poteſt alimentnm medicamentoſum quod æſtivo tempore frequenter menſes ornat dapesque inchoat noſtras, lactucam puto. De hac *Lemmius lib. 2. de occultis nat. mirac. cap. 42.* ſequentibus diſcurrit: Illum uſum lactuca præbet, ut ſanguinis fervorem reprimat atque hepatis cordisque intemperiem calidam mitiget, adeo ut ejus immodicus uſus venerem coërceat ac concumbendi deſiderium extingvat ut cucumeres, pepones, portulaca. Quamobrem affluentius iis præſcribenda, qui cœlibatu addicti ſunt, ac pudicitiam illæſam cupiunt, quo prurire urique deſinant. Vim iſtam lactucæ ad

cæ ad infringendos venereos impetus ſignificaturi poëtæ antiqui, fabulati ſunt, Venerem mortuum ſuum amaſium *Adonim* inter lactucas abſcondidiſſe, ὅτι ἀσθενεῖς εἰσὶ πρὸς ἀφροδίσια, οἱ συνεχῶς χρώμενοι θρίδαξι; *quoniam* (ut *Athenæus lib. 2. dipnoſoph*: exponit) *imbelles ſunt ad venerea qui aſſiduè lactucis utuntur.*

Phylarchus, autore *Apollonio Dyscolo Alexandrino lib. 20. hiſtoriarum*, memorat ex India radicem albam eſſe allatam, quam contuſam cum aqua pedibus illinentes, rei venereæ obliviſci & evnuchorum ſimiles fieri.

Cicutam multi Athenis bibebant, ut vim membri genitalis amitterent. *Cam. Hor. ſubciſ. l. 1. cap. 1.*

Potus coffi, ex faba *ban* aut *bon* paratum decoctum elumbes fere reddere creditur frequentius potum hunc ſorbentes. Hujus uſu crebriori Perſarum Rex *Sulthan Mahmud* adeò ad venerem inneptus factus, ut conjugis ſuæ planè eſſet immemor. Hinc ejus conjux *Caſnin* aliquando de feneſtra proſpiciens, cum caſtratio generoſi equi eſſet inſtituenda, dixiſſe fertur: ſuperſedere omnino iſto labore poſſent, nec tanto apparatu ad caſtrandum eqvum opus eſſet, modò in potum porrigerent ei abominandam aquam *cahwe* ſeu *coffi*, ſic eqvum hunc Regi ſuo perfacilè fore ſimilem. *Olear. itin. Perſ. lib. 5. cap. 17.*

Fumi tabaci uſus an fœcunditati noceat, diſquirit *Magnenus de tabaco exercit. 6. §. 10.*

Camphora an extingvat venerem, æque graviter ac olim de ejus temperie, an ſit calida an verò frigida, controvertitur. Affirmant *Avicenna*, *Cardanus* & alii; contra negant *Scaliger* ut & ex recentioribus *Otto Tachenius Hippr. chim. p. 183.* Omnium optima videtur eſſe ſententia & ἐπίκρισις *Gothofredi Mœbii* quam habet in calce *cap. 22.* tractatus *de camphora.*

Menthæ uſu venerem extingvi aſſerentes, ſe muniunt, verſu proverbiali apud *Ariſtot. Problem. ſect. 20.* qui ſic habet:

> Μήθην ἐν πολέμῳ μήτ' ἔσθιε, μήτε φύτευε.
> *mentham belli tempore nec ſerito nec edito.*

℞ *ſem. cucum cucurb. cannab.* aa ℥ij.
agnicaſtus anethi aa ℨjß.
f. l. a. emulſio in ▽ la-

▽ *lactucæ, nenuphar:* aa ℥iiij.
colat. per linteum factæ adde
▽ *caſt. Mynſ.* ℥j. *ſacchari tabulati* q. ſ. ad edulcorationem.
corall. alb. præp. ſmarag. præp. aa ℈jß.
M. D. S. ſonderliche kühl Milch.
℞ ▽ *endiv, portalacæ* aa ℥ij.
roſar. caſtit. Mynſ. aa ℥j.
ſucci citri, berber. aa ℥ß.
magiſt. matr. perl. oculorum ♋ aa ʒß.
troch. hyacint. Mynſ. ʒij. *ſirup. nymph.* ℥iß.
⊕ ♁*ti* ℈ß. M. D. S. ut ante.
℞ *Conſ. flor. nymph. roſar. viol. papav.* aa ℥j.
affunde
▽ *endiv. cichor lactucæ* aa q. ſ.
ſtent per noctem in loco calido, colaturæ adde
cryſtalli mineral. ℈j. M. D. S. kühlender Julep.
℞ *Conſ. menthæ rutæ* aa ℥iß.
pulv. trochiſc. de camph. de agnocaſto aa ʒj.
fabæ bon (unde coffi paratur) ʒij.
F. c. ſ. q ſirup. menthæ l. a. electuarium
cooperiatur folio ☉ duplici. D. S. ſonderliche Latwerge.
℞ *corall. alb. præp.* ʒß. *cryſtalli præp.* ℈ij.
cryſtalli mineral. ſacchari ♄*ni* aa gr. vij.
M. F. pulvis divid in IV partes æquales
D. S. ſonderlich Pulver.

Internis ſpecificis aſſotiari poſſunt externa, ut epithemata, unguenta, fotus, ſacculi, cataplasmata, & id genus alia, quibus huic malo obviam ire licet.

℞ *Ung. albi camph. roſ. Meſu.* aa ℥ß. ſacchari ♄ni.
⚯ *roſac. nymph.* aa q. ſ.
ceræ parum
M. F. l. a. Unguentum D. S. kühlende Nierenſalbe.
℞ ▽ *ſpermat. ranar. nymph. ſemper viv.* aa ℥ij.
aceti roſac ℥ß ⊕ *præparat.* ʒij.
M. D. S. kühlender umbſchlag.

CAPUT XVIII
diætam epilogi loco addit.

CUm longo rerum uſu & experientiâ obſervatum probatumque ſit, diætam in curandis morbis utramque abſolvere paginam, utique ea ceu inutilis non erit diffamanda, quemadmodum fecit *Paracelſus in comment: ſupra Hippocrat. lib. 1. aph. 5.* ſed potiꝰ magni facienda, & reliquis auxiliis therapenticis aſſotianda. Hoc & *M. T. Cicero*, in medico foro alias non valdopere exercitatus, cognitum perſpectumq; habuit, hinc de ea obſervanda filium ſuum *lib. 2. de officiis* hunc in modum erudit: Valetudo ſuſtentatur notitia ſui corporis & obſervatione earum rerum, quæ aut prodeſſe ſoleant aut obeſſe, & continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi cauſa & præter mittendis voluptatibus.

Regimen igitur diætæ exactè & hîc attendere expedit.

NATURALIS diæta in totum proſcribit uſum CIBORUM flatulentorum, aromatibus conditorum ut & multo alimento præditorum, & contra tenuem nec ſeminis aut flatuum proventum generantem ordinat victum.

Inediam nonnulli ſvadent in primis diebus. Non verò videtur conſultum eo uſque eam protrahere ac à *Methodicis* olim inculcabatur, qui ſine diſcrimine ęgros per primum triduum inediâ macerabant, poſteà non niſi alternis diebus cibum concedebant, hoc ſcilicet ordine ut ſub initium quarto demum die, poſtea ſexto, mox octavo, deinde decimo, cibum ægris porrigerent. *Galenus 10. meth. med. cap. 6.*

Caro turturum in cibum aſſumatur, cum venerem reſtinguere credatur.

POTUS ſit cerevíſia tenuis, qualis ſecundaria, aut alius non generoſus liquor, ſitim tantum ſedare valens.

Vinum ut peſtem in *priapiſmo* fugiendum inculcat *Epiphanius. Ferdinandus med. hiſt. 26.*

Abſinthites concedi poſſet, cum valdopere exſiccet, ob admiſtum abſinthium, quod, ut docet *Galenus 7. meth. med. 4.* quen-

dam

dam ob crebriorem uſum. ad maraſmum deduxit. *Cornarius* item ſcribit uſum vini abſinthii longiorem, valdè exſiccare ſemen genitale, ut ideò abſinthium germanico idiomate dictum videatur Wermuth quaſi wehret dem Muth.

Cui fuliginoſus *Coffi* ſapor ad palatum, eo utatur.

In ANIMALI diæta QUIES & OTIUM fugiendum iis, quibus cordi eſt libidinoſarum affectionum averruncatio. Exercitia honeſta & liberalia, ſi aliud quid quod agant deſit, ſubeant.

Venationem flammis illicitis obſtetiſſi, relatum legimus. Quęrit *Venus* à *Cupidine* apud *Lucianum*, cur *Dianam* ſuis jaculis ſive telis non figat? Cui *Cupido* reſpondet: Hanc ne deprehendere quidem uſquam queo, quippe perpetuo per montes fugitat. Adhæc alterius cujusdam *Cupidinis* illa tenetur cupidine, nempe venatu cervorum & hinnulorum quos inſectatur ut capiat, ut jaculo figat, ac prorſus tota rerum hujusmodi ſtudio tenetur. Et *Homerus* in hymno Veneri dicato, tres deas à Venere alienas inducit, quarum animum flectere nec fraude convellere potuit Venus; nempe *Minervam*, cui bella & *Martis* opera ſemper grata ſunt, prælia atque pugna. Ita nec *Dianam* venatoriam aureo arcu in amore domas; nec unquam venerandæ nymphæ *Veſtæ*, opera Veneris accepta fuere. Plurimum itaque poſſunt bellum, venatio & vitæ auſteritas & jejunium, ne amor altius radices figat. *Hæc Homerus*.

Sic *Hippolitus*, Theſii filius, apud *Euripidem & Senecam* ad caſtitatem ſervandam atque vitandum otium (quod libidinis quaſi diverſorium) conſectandis per nemora feris, ſeſe exercebat.

Equitatio frequens ſvadenda cum *Schytarum* morbus fœmineus [quo qui labobraant ἀνάρεες ſive ἀνάρεες h e. *evirati* vocabantur, & veſte muliebri induta, palam confitebantur ſe eviratos eſſe & ad mulierum contubernia tranſibant earumque opera tractabant] à nulla alia, quam continuâ equitationis cauſâ, deducatur ab *Hippocrate lib. de aëre aquis & locis*.

SOMNUS ſit moderatus alias ſi modum exceſſerit corpus

pravis

pravis humoribus modo in hâc modo in illa parte cumulatis, gravat, unde ſæpe tentigo oritur.

Decubitus non ſit ſupinus ſed in alterutrum latus, ne ſpermatica vaſa incaleſcant.

Lectus cubicalaris adornetur, non ex plumaceis culcitris, ſed potius ex ſtragulis cui injecta nymphææ, portulacæ, ſalicis, lactucæ & præſertim viticis folia. Nam & matronæ Athenienſium, quæ ſacris *Cereris* miniſtrabant, ſuper viticem, ad caſtitatem cuſtodiendam, dormiviſſe perhibentur.

EXCERNENDA excernantur in quantum licet, decet & expedit.

ANIMI PASSIONIBUS hoſce affectus producere valentibus, nullus concedatur locus, ſed potius contra eas obfirmetur animus dictis & exemplis, quibus viri ſapientes haſce corporis voluptates ſunt deteſtati; ut illo *Poëtæ*:

Sperne voluptates nocet empta dolore voluptas.

Item elegantibus *Camerarii* verſibus:

Ardet in affectu Venus anxia, ſordet in actu
inficit & fœtet quando patratur opus.
Poſt factum feciſſe pudet, citò præterit illud,
quod juvat, æternum quod cruciabit erit.

AMOREM ex animo dimovere poterunt incommoda quæ amori inſunt. Quid enim amor aliud quam γλυκόπικρον *dulcamarum*, unde *Plautus in Ciſtel. Act. 1.* inquit: Amor eſt amaror & melle & felle jucundiſſimus, guſtu dat dulce, amarum ad ſatietatem uſque aggerit. Et *Seneca* amor amaroris expers non eſt. Et *Virgilius 4. Æneid:*

Eſt mollis flamma medullas.

Si fortè facies pulchra aliæq; externæ venuſtatis corporeæ notæ, animum in amorem ſollicitent, avocetur mox, conſiderando, quod ſæpe iſta pulchritudo fucata, ſplendorque ille corporis adulterinus ſit, dum non rarum hoc potiſſimum ſeculo faciem coſmeticis medicamentis oblinire, alienis capillis ſe exornare & ita falsò formæ naturalis dignitatem præ ſe ferre, cum tamen, ſi penitius aſpiciuntur, Therſites habeant faciem. Tùm licet fortè in-

tè interdum non ſit aſcititia illa forma, ſed naturalis & genuina, quod nihilominus tamen admodum ſit fragilis & caduca, dùm morbo defloreſcit aut vetuſtate extingvitur.

Quidam eremita libidinoſis exagitabatur cogitationibus, imprimis illi pulchritudo alicuj9 ſibi notæ fœminæ continuo mente obverſabatur, illis impreſſionibus cum vix reſiſtere poſſet, ab alio eremita forte cognoſcit, illam mulierem ante pluſculos dies mortuam eſſe. De nocte igitur ſe confert ad locum nbi ea humata erat, & reſerato ſepulchro, pallio ſuo deterſit ſaniem putrefacti cadaveris, mox reverſus in eremum & ingruentibus impuris ſuggeſtionibus, pallium ſanie infectum, intuitus eſt: Ecce, inquiens, habes deſiderium quod quærebas, ſatia te ex eo. Hâc ratione ſemetipſum fætido panno excruciabat, donec recedebant libidinoſæ iſtæ cogitationes. *Camerar. hor. ſubciſ. Cent. 1. cap. 10.* Demum cum non ſemper habitet mens pulchra in corpore pulchro, ſed interdum hoſpitium pulchrum, deformis dedecoret hoſpes, cogitet pulchritudine captus animus, quid juvat corporis decor ſi animus eſt deformis? *Helenæ* ſunt tales foris-*Hecubæ* intus. Sunt *ægyptium templum*, ut habet proverbium in eos, qui in corpore eliganti, animam fovent turpem. Quemadmodum enim templa apud *Ægyptios* erant marmore ſplendentia, auro fulgentia, picturis perornata & ad omnem ſuperbientem cultum extructa; aſt in eis vel ſimia, vel hircus, vel ibis, vel felis aut id genus ridiculi aliud quid ceu deus colebatur: Ita & illæ quæ foris perpolitæ & venuſtæ ſunt, intus verò vitiis ſcatent, fœdam & nequiſſimam animam, corpore pulchro, veluti ſtrumam dibapho, contegunt.

Ne igitur pulchritudo aliquem illaqueet vitet converſationes perſonarum præcellenti & non quotidianâ forma præditarum; oculos, qui in amore duces, ab eis avertat, *Alexandri M.* ad exemplum, qui Regis *Darii* uxorem prælio captam, quam exuperanti forma eſſe audiverat, videre noluit & ad ſe perduci prohibuit: vel uti *Antigonus* cognomine *Doſon*, qui cum *Dianæ* antiſtetam vidiſſet eleganter formoſam, ſtatim *Epheſo* cum ſuis diſceſſit, ne invitus inceſtum perpetraret.

Hic diſſertationi noſtræ lapidem erigimus terminalem, agentes Τῷ θεῷ δόξαν.

PRÆEXIMIO ATQVE
PRÆSTANTISSIMO

ESCHENBACHIO,

medicinæ cultori indefeſſo
publicam conſcendenti cathedram
FELICITER
adclamat

GUERNERUS ROLFINCIUS, D. P. P. ACADEMIÆ SENIOR FACULTATIS SUÆ h. t. DECANUS.

UT ſilicis ferrique attritu extruditur ignis:
ſic diſceptando tandem ſententia vera
elicitur. Poſthac ſtudioſè inquirere verum
pergito: ſic fies olim medicusque ſophusque.

Siſti-

SIſtimus indomitam Veneris, ſpectacula, venam;
res ſit turpis amor: fit tamen arte decus.
Scilicet in membro pudibundus cernitur horror,
non vitium, morbum noſcere gaudet opus.
Indocilem rerum petimus, ne crimina credat
in theſibus noſtris practica dicta ſibi.
Quæ natura movet medicus, munusque ſecutus,
exprimit, expoſitus cum pietate labor.
Exitioſus enim, qui motùs optima turpat
vis movet authorem { non bona / ſed mala } parta { malis. / bonis.

Præfiſcinè ut hæc ſint ſcripta omnia obſecrat

PRÆSES.

PRata juvat Sophiæ luſtrare virentia, clari
Hippocratis ſaltus pervolitare juvat.
Macte labore tuo, venit en Tibi adorea laudis,
Quæ labor abſerpſit, laus renovata dabit.

Pereximio Domino Reſpondenti
Fautori ſuo plur. col. & Amico
certiſſimo ſcrib.

M. Chriſtianus Grübelius.

In

Honorem & Commendationem

Per-Eximii atque eleganter docti

DN. JOHANNIS Eſchenbachen/

Medicinæ Cultoris maxumè

ſtrenui

Amici propinguâ cognatione

ſibi conjuncti,

cùm

Relictâ Cathedrâ Philoſophicâ

magnâ ſtipatus laude

Medicam conſcenderet

gratulab. haſce deproperabat

lineas

M. TOBIAS Mahn/Altenb.

Poet. Laur. Cæſar.

ARtis Apollineæ quod Tu ſis gnarus, apertô
Ore PRIAPISMI *pagina docta* probat.

Errata.

Pagina 4. lin. 2. lege *Satyriaſis pag. 5. lin. 25. pro ungvit* lege *ungit. pag. 6. lin. 31. pro genitali ejus*, lege, *genitalibus pag. 7. lin. 20.* lege *loqvuntur. pag. 8. lin. 19.* lege *robore & linea 22.* lege *acccuſare pag. 10. lin. 17.* lege *genuinis. pag. 18. l in. 5.* lege *libidinem. pag. 25. lin. 19.* lege *malumq́; reddunt. pag. 27. lin. 2.* lege *militari. pag. 30. lin. 32.* lege *pulſum pag. 33. lin. 3. pro phi* lege *phyto. pag. 41 lin. 21* lege *celeberrimarum. pag. 42. lin. 28.* lege *plane pag. 43 lin. 10.* lege *elaterium. pag. 48. lin. 29.* lege *Sacchari ℥ni* ℈j.